This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

016
053.2
T61p

OPVSCVLVM RECENS NATVM DE MORBIS PVERORVM,

cum Appendicibus Magiſtri Petri Toleti ex profeſſo Medici.

Sunt etiam nonnulli additi *Libelli* perutiles, hactenus deſiderati, quos ſequens pagella demonſtrabit.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
MEDICINA

LVGDVNI.

APVD GERMANVM ROSE.

Cum priuilegio.

M. D. XXXVIII.

ADNVMERATIO eorum quæ in hoc opere continentur.

Odi de odis de prandij & cœnæ ratione.

Libellus de peſte Guidonis antea non uiſus, quem exhibuit Squironius utriuſque linguæ peritiſsimus.

Vniuerſalis morbi articularis præcautio & curatio.

Adiecta eſt in calce huius operis paraſtaſis de prandij & cœnæ ratione.

Habes etiam epiſtolas prodigioſas cum maxima fide ſcriptas, quibus reſpondet M. P. T. uelut præſagiens & uaticinans quæ futura quæq; inſperata euenient.

Libreria del Dr Chinchilla

Domino Carolo

BRACHETO PRVdentiſsimo Iuris conſulto, & ſupremæ in regio comitatu curiæ ſenatori, Petrus Tolletus profeſsione medicus,

S. D.

POST LVSTRVM irreuocabile, & ſubitum, quod non ſolũ triſti medicæ profeſſioni apud Allobrogas Viennenſes impenderam, ſed & deſidiæ, & corpori ferre, nedum diſſimulare ultra non potuí, uir clariſſime, quominus uirulentum, torpens, & languidum inſtitutũ mutarem, luſtrareturq́ melioribus, ſtudijs, quod eſt uitæ no-

ſtræ reliquum. Quæ autem ſint illa
meliora ſtudia, quæ æternam pariũt
memoriam nobis mortalibus qui-
bus uita bulla fragilior cõceſſa eſt.
Set eò erroris, & ſtultitiæ peruenerũt
multi, ut omnia ſua ſtudia ad cumu-
los congerendos auri, & argẽti, quæ
teſte Plinio perniciẽ uitæ humanæ
afferunt, conferant: & ita ut perno-
ctes & perdĳ lucro impalleãt, nunq̃
finem faciant, ſemper cumulũ cumu
lo adaugẽdo, illius mecœnatis ſimi-
les, qui integrum triennium ſomnũ
oculis non uidit. O quãta uecordia,
O extrema ſæuitia, O offenſatrix, &
hallucinatrix uita, O aſperrima con-
ditio, in qua nemo propè mortaliũ
impune uiuit. Set unde hæ tenebræ?
unde hæc ſumma ſeruitus? maiores
em̃ ſumus, & ad maiora nati, quàm
ut huius corporis carnei, & putriſci-
bilis ſerui ſimus; neq̃ ex humili lo-
co, con

ecunia ad cla
tatem non eri
inur.

co, conditioneq́; abiectiſſima ad claritatē erigimur, ſi modò diuites euaſerimus, quod eſſet lethale credere. Claritas noſtra tantū à Deo, & ſidei integritate, quā oportet recepiſſe per euangeliū Chriſti, qui eſt noſtra reſurrectio, & refectio. Sed quorſum hæc, inquies? O uir integer, & generoſe, illorſum ꝓfectò ut hac pœnitentia, & deteſtatione peccata nūc redimam, quæ ab id genus hominibus originem traxere, quorum auaritia tenax in infantibus & recens natis ſoboleſcit, à qua ſobole uaria morborum genera inde ſcaturiunt. Quibus medebimur, meliorē noſtræ artis partē ſequuti, quæ praxis dicitur, morbòſque, quibus noſtra ætas lāgueſcit, & fœdatur, ſuperabimus. Quandoquidem ualetudo impatibilis odium uitæ facit. Quare inſigenda puerili corpori eſt ſanitas,

alioquin imbecillum manet, & inutile corpus, uſuq; ſæpiſſime euenit, ut animi morbi temperiem corporis ſequãtur, quæ aut à nutrice, nonnunquàm muliercula ſtultiſſima, aut à molli, uel corrupta, uel indulgenti educatione, tanquàm innata retinetur: atq; iam ita uoluptate labãtes, & obruti his morbis, ſint emerſuri. Quare ut nihil impediret qn utrãq; uitam (qua perficitur curſus noſter etiam leuiſſimus) nobis pararemus, altera eſt enim contemplatio, altera uerò actio: factum eſt ut librum, de infantium morbis, cuiuſdam priſci medici, quem ſua gloria fraudare noluimus, noſtris appẽdicibus, & gloſſematis auctũ publicaremus, & tuo nomini, pro tuo in me ſummo animo, dedicarem. Is igitur tanto tempore delituit, puluere ſcatens, blattis, & tineis corroſus, cui palingeneſia

ſia opus fuit,& ſecundi natales. Por-
ro huic accedit podagræ,& articula-
ris morbi uniuerſalis reſtitutio, &
præcautio,quam uulgo curã dicunt,
illam aliquãdo in gratiam tuam ut-
cunqȝ depinxeramus, uerius quàm
deſcripſeramus. Eam nunc ex do-
ctiſsimis præceptoribus mutis,cum
Latinis,tum Græcis magis uniuerſa
lem,magis ſynceram, & repurgatã
accipe. Quæ iuſto marte in certamẽ
deſcẽdet, aduerſus eos quibus nigra
(ut dicitur)eſt cauda: quibúſque ma
ior eſt cura contradicendi, quàm aut
admonendi, aut probãdi: quos uno
uerbo uitiligatores,inimicos, profa-
nos, impuros, & uſtiuos appello.
Quod autem minus bene, & incon-
ſulte, per triſtitiam, & feſtinationẽ,
propter affectum tuum,quo tunc ur
gebamur, factum fuit, erit itaqȝ tuæ
celſitudinis hæc noſtra qualiaqualia,

relictis detrimentis iam reſarcitis, in bonam partem accipere, & omne omiſſum feſtinantiæ, & diligẽtiæ im putabis, qualem oportet medicum eſſe, in curandis morbis. Nam canis feſtinans, ut fert parœmia, cæcos parit catulos. Nec graues morbi, quos peracutos appellamus, moram, aut tarditatẽ patiuntur, qua ſæueriores fiunt, & uix poſſunt euelli. Hanc ergo prouinciam accepiſſe placuit, uir expectatæ uirtutis, & delectæ, quem ego unum ſelegi, qui doctrina, & au toritate cæteros ſuperaret: & cuius tutelã tanti apud homines eſſe momenti arbitror, ut ſtatim omnes cõtumeliæ opprimantur. Nec hãc explorandi, & tuendi prouinciam aſſu mere grauabitur illuſtris, & cõmiſſi mus nepos tuus Nicolaus Compagnus, quẽ ego in oculis fero, cuiuſq; ingenium, memoriã, pronunciationem, & eloquutionem ſemper admi

:olaus com nus aure ad bona lia promo ıda natus.

ror non relicta pietate erga Deũ, & homines, quam Græci Euſebiam dicunt: Deum immortalem quàm uelox, quàm felix, quàm ad quiduis ſequax ingenium, is tuæ probitatis hæres, & æmulus efficietur, quippe qui nulla uitiorũ labecula aſperſus, nullo ſordium næuo deuenuſtatus, nullo morum dehoneſtamento infectus. Vale. E Burgo, noſtro ſeceſſu ſi in caſtro cũ militibus ſit mentis tranquillitas, & literatorum ſeceſſus, ſcilicet. Iterum uale decus & Senatorum gloria, & me amicum & tui cultorem ſerua. Calendis Iulij Anno ab orbe redempto,

M. D. XXXVII.

Ad lectorem.

NE EGO VTILITATEM, & honorem quem in infantium morbis curãdis accepi, inuiderem, amice Lector, foras miſi, ut in lucem progrediatur, & in utilitatem publicam redundet, quicquid de his morbis ſcripſerat antiquus & expertus quidã medicus, quem in Ducis Venetorum gratiam ediderat, quemq́; negauerant nobis deliri ſenes, quorum propter ætatem, & autoritatem nominibus parco, & quaſi de luce in tenebras profundas miſſum, gloriabantur. Hunc igitur lector quiſquis es, cui magis quàm nobis ſtudemus, accipe, riſu ſepoſito, qui nugarum eſt comes. Neque glande querna, & ſylueſtri ultra delectemur, magis quàm pane frumentario, quem inſueſcamus, cuiq́; ineſt pinguitudo, & alimonia. Cogita etiam te aliquando in arenam, id eſt, artis noſtræ negotiationem, uelle deſcendere, poſt Galeni toties repetitam lectionem, unde rectiſsima Methodus, dexterrimaq́; curandi ratio oritur:

poſt

poſtq́; prælectiones Iacobi Syluij *uiri incompara bilis, minimeq́; erronei interpretis. Dic per gratiam, quid es reportaturus ſi in numerato habeas totius corporis habitum, cuiuslibet particulæ ſubſtantiam, ſitum, uſum, & affinitatem, morborum differentias, cauſſas, & eorum accidentia, medicamentorum facultates, colores, temperaturas, & differentias, & alia eiuſdē generis, quæ ego omitto, ne uidear totam ſcholam Galenicam narrare, & prorſus in morborum curatione cæcutias, quales in diem oculis etiam proprijs eſt ſpectandum, qui ſapientius habent palatum, quàm felicem officinarum calamū, quiq́; nihil aliud quæritant, quàm arcana artis, ignorantes quæ à ſuis interpretibus acceperint, quæq́; Galenus ſcripſerit, arcana artis ipſiſsima eſſe. O quanta ſocordia, ò peßima cæcitas, ò monſtroſa & pernicioſa hominum conditio, uide an hæc non ſint arcana artis, elementorum ſcilicet adnumeratio, & eorundem ordo, proportio qualitatum primarum, quæ in compoſitione multas affert mutationes, humorum ſedes, & temperaturæ cerebri, uentriculi, & reliquarum particularum debita adnumeratio, temporum conſtitutiones, cuiuslibet partis functiones, morborum pro-*

Iacobus ſyluius vir incomparabilis, & diligens ſenſū medicorum euerſor, & repurgator.

Felix tabernæ medicamētariæ calamus.

Plures medici à ratione galenica ad experimenta minime tuta deficiunt.

Quæ ſint arcana artis medicæ

gnoſtica, quæ hæc omnia, arcana profecto ſunt artis medicæ, relicta, & neglecta tam moroſa, ut ſit, inquiſitione herbarum, & radicum, quarum in Gallia bonam partem deſideramus, quæ ſeplagiarijs eſt deſtinanda, potius quàm illi rei perpetuo adeſſe, præſtaret officinarum compoſitionibus præeſſe, quæ non triennium tantum, aut ſexennium, ſet quandiu uolunt, durant. Neque uelim omnino nos ignorare, quæ cognitu ſunt facilia, & tenerũ minime remorantur: ſet non tam ſolicite amplexari, quandoquidem ſunt non pauca, quæ utilitatẽ non afferunt, ut ſunt gramen parnaſi, cecuridaqua, ramneus, ramnus, acorus, quæ deſiderari tantum poteſt, centaurium maius, caryophylata, philix, quæ hactenus ſine ſemine, & caule ignota fuit, blaptiſecula inodora, reugallicum, cuius uſus non fiet citra uitæ diſpendium, cuius rei ſexcentos afferemus teſtes oculatos. Set de his ſatis ſuperq́; ſatis dictum ſit, quæ non ſine ſtomacho retulimus. Neque hæc noua quædam dogmata exiſtimes, quæ rem acu attingunt, etiam ſine pulmone (quod dicitur) interim tamen audies doctum quendam medicum poliglotum, eundemq́; interpretem, cuius hæc ſunt uerba. Hæc, inquit, medicantiũ multitudo

In gallia bonã partem ſimplicium deſideramus quòd ſi huc trãsferãtur iã à tẽperamento proprio & ſcripto recedunt.

Multa ſunt ſimplicia alia, à dioſcoride deſcripta quæ vtilitatem nõ adferunt.

Reugallici vſus nõ fiet ſine vitæ periculo.

Comarius eſt medicus Aetij interpres.

titudo

titudo facit, ut uulgo res leuicula putetur, morborum medicatio, cùm tamen ex doctiſsimis medicorum, maxime Græcorum, à quibus medicina primũ cœpta, & perfecta ſcribi eſt, ſcriptis conſtet, nullam partem medicinæ difficiliorem eſſe, quàm eam, quæ curatiua appellatur: reliqua enim omnia ob hanc ſolam recte conficiendam ſunt tanquam antegreſſa: eſtq́; ipſa curandi ars, uelut fructus, & finis artis omnis. hæc ille. Quanquã non negem & medicum eſſe poſſe, & iure haberi, qui ſe etiam ad hanc minime exercendam conſerat, contentus pulcherrima totius medicinæ contemplatione, & cognitione, medicisq́; ipſis magis medeatur, quàm ægris. Quod certe multis nõ conceditur, alioquin uileſceret, & in totum ceſſaret praxis, pars medicinæ præcipua. Triſtis tamen (quod mihi dolet) inuida, uilis, & non ſine contagio, ſolis tantũ epiſcopis, & principibus, quod olim factum eſt, relinquitur contemplatio, magis quàm actio, in quorum eſt numero Magalonenſis ille epiſcopus noſtras, uir undecunq; doctiſsimus, cui debebãtur hæc tuta otia, quæ mihi magno meo malo fuere negata, cui nihil candido filo textum fuit, quod detexet Deus immortalis, aut ipſa mors, quæ finis iudicatur eſſe

Medicinę exercitatio pars pręcipua, ſed triſtis, inuida, uilis, & contagiũ adferens.

Olim medici principes.

Epiſcopus magalonenſis vir omnibus modis magnus & medicamentorum indagator diligẽtiſsimus, qui ſuis ſcholis publicis feliciter natus eſt.

malorum. Neq; *eos perterret, quorũ laus mori non poteſt, ſet hos, quorũ cũ uita omnia extinguuntur.*

Mors viros fortes non deterret.

Set ut unde digreſſus, redeam, ſic hoc quod tibi uni ſcripſimus, ut nihil non haberes ad tuũ calamũ, quẽ uelociſsimũ, & tutũ eſſe oportet, ſic igitur accipe, ut etiam bene currenti curſum augeas, quod non fit calcaribus, id eſt, liuore, conuitijs, detractione, nariũ ſtrictione, ut fieri ſolet. ſet fauore, amore, ſilentio, laude, & gloria, quæ uires addit. Neque *ita peruerſe me amo, ut aliorum ſcripta reprehendere malim, quàm innoteſcere quod errẽ, aut à quoquã nolim corrigi, & emendari, uerùm non ſine crimine, ſine cauſa, & iudice, clauſis oculis andabatarũ more.*

Calamus medicorum & velox & tutus eſſe debet.

Malum eſt ſine crimine reprehendi, intolerabile vero ſine iudice.

Quis porrò non ſciat uitam, & quicquid eſt eius uitæ, ita leue, ut uel à leuiſsima qua q; aura fluctuet? Quare anchoris grauiſsimis opus eſſet, ut cõtra uim tempeſtatũ omniũ illæſi, & quieti maneremus, quod mortuis ne hoc quidem eſt conceſſum, quãdoquidem uiſum eſt ſanctiſsimum illum ſenem, cuius uirtutis, probitatis, doctrinæ, & monumentorum memoria, noſtris mentibus reſidet, poſtea uerò quàm hominem exuit, ne dicam canes, qui, ut referunt hiſtoriæ, & exempla familiaria, arctiori beneuolentiæ uinculo hominibus, quàm ſibi ipſis homi

Vita ita debilis vt leuiſsima quaq; aura fluctuet.

Mortui illæſi non quieſcunt.

Exuere hominem.

Canes maiori amoris vinculo ſunt hominibus coniuncti, quã ipſi homines hominibus.

hominès, ſunt coniuncti. Set liuidos quoſdam, obliquos, pallidos, exangues, criticos, ſemper dolẽtes, & ſuſpenſa nare mordaces, quorum certe plumbei ſunt gladij. Quid enim infelicius, quàm alienis bonis, proprijsq́; malis ſimul affligi? Quare lector beneuole, & ſtudioſe, ſi in bonam partem acceperis, & in tutelam, & defenſionem, non dubitabimus pedem cum barbaromedicis, aſſentatoribus, & malarum artium conſultoribus, conferre, labores omneis perferre, algores, æſtusq́; deſpicere, & flumina etiam gelu concreta calcare, imò uero diem (quod dicitur) datyli uidebor recepiſſe. Ergo cum morbis pugnaturus, quippe bellica eſt negociatio, te proba labore, potius quàm mollitudine, prognoſticis, non ſuperſticioſis, exercitatione, collectione, timore, & audacia, inter quæ erit conſultatio, quam habeat præcipuam medicus. Et ſic finẽ mihi conſtituo, & ad rem uenio. bene uale amice lector, & ſic faue, ſic noſtra lege, ut quàm magis legas, quàm magis placeant. Et ſi quid à me fieri poteſt quod ſit tibi commodum futurũ tua eſt optio. Quod fiet aſpirante numine, ſiquidem non ingratos hos quantuloſcunque primitios labores intellexerimus. Vale.

Morborum curatio, bellica eſt negociatio.

Cõſultatio præcipua ſit medico.

OCTOSTICHON
EIVSDEM.

Sex ego cum tenebris perducens luſtra profundis,
Arridet ſpeculo nec mea forma leuis.
Sollicitor, crebris nec ceſſo membra mouere
Greßibus, & lachrymis, lumina nigra rigo.
Efficit hoc ἔρατω, quæ ſemper cogit amare
Indomita, hac angor, ſemper ineptus amor.
Ite aliò ignes, ite hinc, nulla occaſio lucri eſt,
Fida mihi cuſtos addita pauperies.

CLAVDIVS MALETVS
Ludimagiſter Burgenſis apud Segu ſianos Lectori, Decaſtichon.

Hactenus infantes multi periere dolore
Ignoto, haud aderat qui dare poſſet opem.
Obſtetricis adhuc matris, ſimul atq; nutricis
Non medicus quæ ſint ſcripſerat officia.
Nec mirum, res dura nimis, uix cognita doctis,
Iſta ſed à fluuio ſcripta Bagaldus habet.
Hæc ornat ſcholijs Petrus Tolletus opimis,
Doctius his, nemo ſcribere crede poteſt.
Hoc eme quicunq; es lector peramande uolumen,
Infantum ſi uis corpora ſana fore.

Deſine mirari Lector, cur modum loquendi autoris non mutauerimus, quod a nobis conſulto factum eſt, ne ſuo tempore autor non uixiſſe uideretur: uariaſſemus profecto ſi ſuæ linguæ interpres non fuiſſet.

Textus autoris.

Ad illuſtriſsimum principem, domi num Nicolaum Tronum, digniſsi mum Ducem Venetiarum, dominũ ſuum præcipuum, Libellus de ægre tudinibus infantium per magiſtrum Paulum Bagellardum à flumine edi tus, incipit feliciter.

QVANTVM DOMI *tuæ, illuſtriſsime princeps, nec Liuij, nec Ciceronis lin gua, aut eloquentia expri- mere, nec quiuis alius felici ſtylo comprehēdere poſſet. Nam cum puto me, in clarum uirum olim euaſiſſe, duntaxat beneficijs illius præclari genitoris tui, patricij honeſtiſsimi, qui me innata ſibi humanita- te, ad medicinalem ſedem euexit, in qua octo & uiginti ſolares circulos honeſte militaui, in- gratitudinis notam me facile ſubiturum intelli- gebam, niſi pro uiribus eniterer, aliquid ſaltem in*

tanta tuæ felicitatis amplitudine. Cæterum cum non auri, neque argenti copia mihi ſuppetat, quod meæ facultatis eſt munuſculum, in minimam partem remunerationis paternorum erga me meritorum, tuæ ſerenitati dedicaui libellum, uidelicet de ægritudinibus infantium, nuper à me compillatum ut ſuauis quidem fructus ex beneficio lucubrationum mearum percipiatur. Oro itaque, atque obſecro ſerenitatem tuam, ut non rem, ſet mittentis uoluntatem conſiderans, læta fronte, atque clara facie, deſtinatum nomini tuo opuſculum ſuſcipias.

Vale.

PRINCIPIVM LIBRI.

LIBELLVS DE AEgritudinibus infantium, bipartitus eſt. In prima parte ponuntur modi figurãdi infantem, faſciandi, aut cum inſtitis, aut faſcia, & balneandi, & modum cibandi, & modum lactationis, maxime primi menſis, & electio nutricis, & modus corrigendi lac ipſius nutricis, aut matris, & breũiter, modus gubernandi infantem, in ſex rebus non naturalibus, in primo menſe. Secunda uerò pars, continet ægritudines particulares infantium, incipiendo à capite, & ſunt uiginti capitula.

PRIMA PARS,
De regimine infantium in primo menſe.

CVM INFANS, PRAE*cepto Dei, uuluam egreditur, tunc obſtetrix manu lẽta & ſuaui, habens pannum lineum, non aſperum, ſet potius lenem, & antiquum debet inuoluere, & gremio ſuo imponere: & aduertere an infans uiuus ſit, an non, an maculatus, id eſt an niger, uel albus, ſeu liuidi coloris: an reſpiret, uel non. Quòd ſi ipſum calidum, non nigrum reperiat, debet inflare in os eius, ipſo ſcilicet non habente reſpirationem, aut in anum eius: quòd ſi contingit anum eſſe obturatum, ſicut aliquando contingit, pellicula quadam, debet ipſam ſcindere nouaculo, aut auro ignito, ſubtiliſſimo, aut aliquo inſtrumẽto, proportionali. Quòd ſi infans uiuus fuerit, coloris liuidi, tunc debet ſcindere umbilicum, ſeu uenam umbilicalem, dimittendo illam longitudinis quatuor digitorũ, ligando ipſam filo retorto,*

au

aut lana retorta, aut ſerico, leui tamen ligatione, ne dolorem patiatur. Et ſic ſtare ſinas uſque ad caſum, ſeu conſolidationem umbilici. Quod ſi contingat umbilicum non conſolidari, tunc debet imponere puluerem myrrhæ, aut aloes, aut quod melius eſt, puluerem myrtilorum, deinde facta ligatione umbilici, obſtetrix debet imponere infantem in peluim, ſeu moſtello, aut aliquo uaſe proportionali repleto aqua dulci, ſuaui caliditate calefacta, non mordaci, nec frigida, aut ſalita, ſecundum morem Græcorum. Et debet intromittere infantem in tali aqua, ſeu balneo, caput manu ſiniſtra eleuatum, manu uerò dextra debet formare caput, orbitates oculorum, mundare nares, os aperire, mandibulas fricare, brachia, & manus & omnia formare: deinde pãno lineo calefacto ſuaui calefactiõe, ipſum inuoluere, & corpus infantis ſugare. Poſt hæc habito panno lineo ſubtili, debet imponere capiti infantis ad modum capitei, deinde habe pannum lineum, & mollem & infante ſituato ſuper crura obſtetricis, capite ſituato circa pedes obſtetricis, pedibus autem infantis ſituatis ſupra corpus obſtetricis, debet obſtetrix ipſo lauato panno lineo inuoluere, inuoluendo pedes eius, prius brachijs ſu-

pra eleuatis, debet inuoluere pectus eius, & corpus infantis ſtringere cum faſcia, tribus, aut quatuor ligationibus circumcirca, deinde habeat aliud linteamen, & pannicellũ, & obſtetrix trahat manus infantis per directum, uerſus genua, & coxas, figurãdo eas æqualiter, ut infans nullam gibboſitatem recipiat, & tunc ligare, & inuoluere cum eadem faſcia, adiutoria, & brachia infantis, & manus, quæ omnia recte figurabuntur. Deinde debet inuoluere infantem, ſuper pectus infantis eius, dorſo eleuato uerſus cœlum, & accipere in manu ſua pedes infantis, & facere cum manu ſua ut calcanei infantis tanquam nates infantis ad hoc ut genua ipſius debite ſituentur: exinde debet dirigere crura infantis, & cum alia faſcia, & pannicellis debet ligare coxas, & inuoluere, deinde infantem totum accipere, & inuoluere panno laneo, aut ad modum noſtrum, in capeta ſuffulta pellibus ouinis, & hoc in hyeme: æſtate uerò in panno lineo ſimplici.

Deinde obſtetrix ponat ipſum ſuper ſtrato cameræ temperati aëris, non luminoſi, imò magis ad obſcuritatem tendentis, ne ex nimio lumine infans cæcus efficiatur, aut ſtraboſus, aut tortuo-

ſus

ſus. Poſtea uerò, cooperiat ipſum leui coopertura, circũuoluendo linteamen circa caput eius, non tã-gendo caput infantis, ne ſuffocatio tandem ſequatur, & ſic permittat ipſum dormire. Facta autẽ euigilatione, tunc mater, aut aſtantes mulieres, habeant parum ſacchari, aut pomi cocti, perfecta coctione ſaccharo mixti, ori infantis imponat, hoc eſt enim perfectiſsimum, & bene laudabile nutrimentum, & medicamen laudabile: incitat enim infantem ad expellendum per uiam uentris, deinde habeat nutricem ætatis uigintiquinque annorum, uſque ad trigintaquinque, quæ ſit ſanguineæ complexionis, aut ab ea parum recedat, mediocris etiã carnoſitatis, non ſit crapuloſa, ſet bonorum morum, non utẽs coitu: aut ſi infans pauperculus eſt, nutriatur lacte matris, quæ tamen debet ſibi cauere ab his quæ lac conturbare, ſeu inficere, & alterare poſſunt, ſicut acria omnia, legumina, carnes craſſæ, aut carnes ſalitæ, piſces ſaliti, caſei ſaliti, & antiqui magis quàm recentes, iram, & coitum, exercitium ſuperfluum, balneum, & crapulam, & tunc talis nutrix debet lactare infantem leui lactatione, ne nimia lactatione, coagulationem

Quot annorũ debet eſſe nutrix.

lactis in ſtomacho incurrat. Et tunc completa lactatione, infantem in cunabula mittat, ipſum cooperiendo coopertorio non tangente os, mouere, & ducere cunabulum hincinde, leui motione, ſomnumq́; ſuauem faciat, uoce leni cantet, ut ſpiritus infantis congaudentes ſuo ſimili alacres fiant, nec ſit in camera ſtrepitus, aut uox horribilis, aut aliud, quod infantem terrere poßit. Deinde obſtetrix ipſum balneet, ſecundum conſuetudinem nunc habitam, duabus aut tribus unctionibus, quamuis tamen, ſecundum ſentētiam antiquorum, debet balneari uſque ad menſem. Set quia uſque ad menſem, uarij accidunt morbi, ſicut ſtipticitas uentris, clamores nocturni, & diurni, ideo, ſtante ſtipticitate, debet nutrix accipere ſtercus muris, & infundere ipſum in oleo communi comeſtibili, & ano infantis imponat ſuauiter, & ſi dolores patiatur, ilia, & pectinem infantis, oleo anetino inungat, quòd ſi contingat infantem epilepſiam, tortuoſitatem, & analeptiam pati, applicentur quæ dicturi ſumus, ſecunda parte ſequenti.

Appen

Appendix in priorem tractatum.

ETſi duæ ſunt primæ, & maximæ partes, ipſius unius artis quæ circa humanũ corpus uerſatur, altera quæ ſanitatẽ tuetur, altera quæ morbis medetur: par tamen eſt, nos eã cõſiderare, nõ ordine primo, quando ſanitas tempore, & dignitate morbum præcedit, & illi præſtat, eam inquàm quæ optime ægretudines curare docet, ne ab autore diſcedamus, quem ab experientia (quæ hic meliorẽ locũ ſortitur) augemus. ſanitatẽ dixi tẽpore morbũ præcedere, quã in tota ſignificatione accipies. nempe, multifariã dicitur, ſaltẽ ab aliquibus bifariã: nam quædã eſt exquiſita, optima & perfecta, quæ impatibile reddit corpus: altera uerò delinquens, non adeo tamẽ, ut ægrotare propterea, dicatur animal. Et *hæc non paucos habet gradus, tantũ ratione maioris, aut minoris differentes non parum. Quare quomodo quis aut optimam, & inculpatam ſanitatem conſeruet, aut quænã ſit optima corporis ſtructura, & quæ ſint eius ſigna, quæ rationem ſcilicet ſanitatis, aut ægretudinis, aut neutralitatis aſſumunt, ad præſens ad memoriam non reuocemus, ne uideamur iam actum agere. Quandoquidẽ prænouiſſe oportet, & corporis cõſtitutionem, eiusq; partiũ uſus, & optimam compoſitionem, habitum, & ſtructurã, quæ qualitatibus tẽperatiſsima, & partium compoſitione, ad proprios actus exquiſitiſsime congrua, ad ſingula quæq;, apte functioni parata, ſeruato numero, magnitudine, & commodo inter ſe earundem partium ordi=*

Duæ ſunt primæ partes artis medicæ.

Sanitas bifariã cõſideratur, nã quædã eſt perfecta quædã vero delinquens: & hac ægrotare non dicitur homo.

Omnia quæ faciunt ad contẽplationẽ & ſpeculationẽ (græcè θεωρία dicitur) p̃nouiſſe oportet ante quã ad praxin deueniamus.

ne, ſet ad rem accedentes, cauſas quæ communes eſſe poſſunt infantium morbis, relicta ea, quæ corrupti eſt ſeminis, & materiæ, à malo ſcilicet artifice, à qua morbi hæreditarij fiunt, adſeramus, quæ omnes ad palium (quod dicitur) nutricis referuntur. Pleræq; nutricum cibis non exquiſitis utentes, lac deprauatum generant. Inde eos infantes, qui optimam forte ſtructuram ſortiti erant, diuerſi morbi adoriuntur. Et anteq̃ ad eos morbos ueniamus, tractationem infantis, ſeu eius ſuſceptionem, in primis diebus, aut regimen (ut habet autoris noſtri uocabulum) docebimus. Quod hic negligendum erat, ubi de morbis infantium tantum agebatur. Infantem igitur ſic recipiamus, ut diu incolumẽ ſeruemus. quæ erit, aut nutricis bonorum morum, aut matris cura præcipua, quam hanc integram, per totum lactationis tempus, quod erit aut duorũ annorũ, aut ſeſquianni, ſecundum quod indicabunt infantum uires, quæ frequenter primo anno ſolidiorem requirunt cibum: & tunc ſenſim ab uberibus deſueſcat. Integram matrem, & totam altricem filij ſui optarem, ne aliquando non nutrices modo, ſet tygres hyrcanas, uel arabicas habuiſſe uideatur. Quod dicit uirgiliana Dido in Aeneam:

Tempus lactationis prolixũ, duorũ eſt annorum.

Mater tota ſit integra quæ videlicet ſit ſui nati altrix.

– Hyrcanæq; admorunt ubera tygres.

Quamobrem non fruſtra natura omnium occultarum rerum artifex, liquorẽ illum, & ſanguinem, qui prius in utero fuit, ad ubera mittit, aduentante iam partus tempore, qui calore multo, & elaboratione non unica exalbuit, ut ad rudimenta lucis & uitæ fouenda,

notumq;

notumq́; & familiarem uictum offerat. Neq; uideo errori excuſationis locum, areſacere ſcilicet fontẽ illum ſanctiſsimum, educatorem corporis generis humani. Quod cum non nouiſſes, non uideres, non uagiret, neq; ſine põdere, & ſaburra in utero, tuo ſanguine alebas: Nunc uerò uiuentem, tibi iam ſimilem, iam filium, iam hominem, tuum officium implorantem, negas, perdis, & extinguis, quod gratis tibi offert natura. Quare, ſi uicio nutricum (quod uſu euenit) infantes etiamnum infinitis propè morbis corripiantur: non accuſes Diuos, qui in cœlis nõ nocent, non expellas ſpiritus cadauerum, quæ in cœmiterijs quieſcunt, quibusq́; per promiſsionem reſurrectio debetur. Nã non redit ſpiritus, ut occidat, quod ſi eiulatus, incorporeæ uoces, & nocturna murmura audiantur, cogita malos eſſe ſpiritus aereos, quibus aut uincimur, aut probamur, aut manũ eſſe domini, cuius conſilia alta ſunt, & uere arcana. Set hæc theologis ſancienda relinquimus, quæ ab ipſis ſunt petenda. Te igitur matrem, per totam mollem nutricationẽ, & lactationem diligito, ut perpetuo te matrem cognoſcat filius tuus, qui in alienum partum ſæpiſsime degenerat. Primum & ſecundum dies à partu excipio, quibus abundat ſpongioſa quædam denſitas lactis, quæ eſt à partu prima, quam coloſtrum uocant, Græci uerò protogola. Quod ſi paruitate mammarum, quod uidimus, & ita, ut ſine mammis, etiam ab ipſo ſtatim partu, eſſe uideatur mater, aut defectu papillæ & capituli mammæ, aut exulceratiõe (cui ſunt obnoxiæ mulieres Allobroges Viẽnẽſes)

Peccatũ in de[os] & homines ar[e]facere mãmas vt ide negetu[r] puero tenell[o] alimentũ quo[d] eſt lac mulie[]bre potius q̃ caprinũ quo[d] à multis ſcimu[s] eſſe tentatum.

Diui minime a[c]cuſandi ſi morbos patiamur.

Mali ſpiritus aerei, & laruati qui ſæpe nos territant.

à theologis ſpirituum manſiones ſunt petẽdæ

Mulier primis diebus infantẽ non lactet.

Mater defectu papillæ non nutrit.

Mulieres Allobrogũ quibus morbis obnoxiæ.

Electio nutricis.

lactare non poßit mater, opus eſt nutrice, ne perdas fœtum tuum. Quæ colore ſit fuſca, non pinguis, ſtaturæ congruæ, & conuenientis, non mammoſa, qualis nõ fuit quæ adoleſcentiam meam perdidit, mentem meam turbauit, rationem ſuperauit, uincẽtibus nigricãtibus, ac ſplendidis in ea oculis, ob concinnitatem, & bene temperatam ſubſtantiam: quæq́; conditionis extremæ, & ſeruilis non ſit, aut improba, aut informis, aut impudica, aut tumulenta, quæ non ſine pernicioſo contagio nutrit. Poſt igitur lactationem, & nutricis depictionem, quæ qualitatem lactis demonſtrat ſignis quibuſdam ſalubribus, quæ ex toto corporis habitu colliguntur. Totius autem corporis habitus ex illis partibus maxime dicitur, quæ primæ oculis ſubijciuntur. Nam quæ intra corpus ſunt, non facile neq; omnia cognoſci poſſunt. Supereſt igitur ut recens natum, quia adhuc tenellus eſt, ſic recipiamus, ut & offenſam minime inferamus. Si uerò partes figura, numero, aut ſitu delinquũt, his formatione, ablatione, & alligatione ſuccurritur, quibus ad naturalem habitum traducuntur, primis ſcilicet diebus, potius q̃ aucto iam infante, qui ob duritiam emendari non poteſt: quemq́; citius frangas, quàm corrigas. Relinquo quæ magis ſuperſtitioſa ſunt, quàm uera, de umbilici ſcilicet longitudine, qui linguæ q̃titatẽ præſcribit, & ita (ut dicũt) ut quantus eſt, tanta eſt linguæ muſculi longitudo, aut breuitas. Præterea ſunt qui dicant præſagia capi futuri partus ab umbilico primi infantis: qui ſi in parte, qua corpori proximus eſt, rugas non habeat, mulieri

deinceps

Mulier fuſca non mammoſa adoleſcentiam meã perdidit.

Partes quæ primæ oculis obijciuntur totius temperamentũ demoſtrãt: quę verò internæ ſunt nõ facile.

Lege multa de vmbilico ſuperſticioſa.

deinceps ſterilitatem portēdit, contra uerò ſi rugoſa, & lineis quibuſdam abundet, tot partus mulieri promittit, quot ſunt numero nodi, ſeu rugæ. Set hæc Aegiptijs & Arabibus ſunt relinquēda, magis quàm Chriſtianis, & artificibus, qui res ſecundum naturam, & contra naturam, & non naturales conſiderant, potius quàm quæ ab euentu fiunt, & quorum cauſa occulta eſt. Quod ſi omnium morborum cauſa, aut occulta, aut neceſſaria eſſet, nulli poſſent à medico morbi curari, teſtante hoc principe noſtro Hippocrate, cuius hæc ſunt uerba: Cæterum de occultißimis, & difficillimis opinione, potius, quàm arte iudicatur, in his quæ experientia plurimum imperitiam præſtat. Si cui etiā morborum cauſa perſpecta fuerit, hic poterit quæ conducere ualeant, corpori admouere, quippe qui ex cōtrarijs ægretudines fieri non ignorat. Nam hæc medicina in primis naturalis eſt, quiq; hoc optime facit optimus eſt medicus: qui autem ab hoc plurimum abſceßit plurimū à parte diſceßit. hæc Hippocrates, qui etiam in libro de natura humana, idem ferme dicat. Morbos, inquit, qui ſenſim oriuntur, & quorum cauſæ cognitu ſunt faciles, tutißimos appellare licet. Quare præſentißima curatio ſi quàmprimum morbi cauſæ occurratur: qua ſublata morbus abſq; negotio diſcedit. hactenus diuinus ille ſenex, in præſtigioſa potius animalia, quàm ueros homines, quæ confuſio, ignorantia, & diſperſio perdat, & in tenebras cum mola aſinaria mittat, quibusq; abundat Italia docta: ſet his ſe purgat, ut tandem Gallias inficiat. Set ad rem

Cauſa morborum omniū nec occulta, nec neceſſaria.

ægritudines ex cōtrarijs fiunt ſuperantibus.

Prēſtigioſa animalia potius q̃ veri homines.

Superſtitioſis & mōſtris quæ formā humanā induunt abundat Italia.

reuertamur. Poſtquàm *umbilicus reſectus*, *atq; obligatus eſt*, *totum quoq; corpus infantis perungi oleo glandium*, *aut maſtichino*, *aut myrtino nõ erit inutile ut cutis confirmetur*, *contra ea*, *quæ foris adhuc tenerum offendere poſſent*. Ab *unctione uerò*, *aqua tepida lauari*, *omiſſo cerebro*, *corpus infantis conueniet naresq; digito reſectis unguibus aperiri*, *& purgari*. Necnon *anus & podex à nutrice digito oleo infecto aperiri debet*, *inſtar glandis*, *quo citius ad egerendum prouocetur*. Præterea *cùm infans inuoluitur*, *quod frequentiſsime fiet*, *propter ſordes quibus abundat prima ætas humida*, *danda eſt opera ut quàm molliſsime tractetur unumquodq; membrum*, *recteq; & ſuo loco illigetur inuolucris ſuis*, *& tunc nihil impediet*, *quin rectis membris*, *& corpore recto creſcat*, *non ſecus atq; in ſeminarijs arborum*, *& plantis debilibus fit*: *& ut educuntur*, *ita adulta*, *eandem formam tenent*. Quod *ſi hæc obſeruata fuerint*, *illæſus*, *& integer uiuet infans*. Neq; *inficiaris oportet*, *deſidiam*, *& negligẽtiam plurium obeſſe*, *ſicubi ſit omiſſa*: *quare ut ſemel finiam*, *hæc ſit huius corrolarij ſumma*, *ut ne ab initio lacte infantem obruamus*, *uitemus*. Nam *præſtat ſæpe*, *ac modice lactare*, *quàm non modice ſemel*, *ac iterum ſugẽtem opplere*. Cæterum *date operam*, *ne lac nutricis in totum* (*quod interdum euenit*) *decreſcat*, *quod ſi à cõceptione inueniatur error*, *mittatur nutrix foras*, *propter lactis uitium*. Si *uerò aut à calore*, *frigore*, *& obſtructione*, *utere conſilio medicorum præſentium*, *unum præcipue admonentes*, *ut lactucis*

Oleũ glandiũ.

Prima ætas recremẽtis abundat.

Analogia arborũ debilium.

Nutrix quæ concepit nõ nutriat ſi velis infantem non dolere.

Quibus lactis abundantia paretur.

lactucis quàm frequentiſſime poterit, aut in acetarijs ex minimo aceto cum melle, more hiſpanico, aut in iuſculis utatur nutrix, quo lacte abundet, & ſic ſufficiet nutrix humorem infanti, donec ablactandus ſit puer. Et hæc de primis menſibus infantis, quæ retulimus, ut nihil huic loco deeſſet, quod ad utilitatem, & ſanitatem publicam faceret.

CAPVT PRIMVM autoris ſequitur, quod eſt de Saphati, fauoſitate & eius cura.

AEgritudines quæ accidunt pueris, & infantibus, quãuis ſint uariæ ſecundum complexionem eorum, Tamen ſecũdũ quod dominus illuminabit, declarabimus, ægritudines eorũ uſq; ad tẽpus rectæ eloquutiõis, quod eſt ſeptẽ annorũ, inchoãdo à capite, tãquã à ſede animæ rationalis, uſque ad pedes, & nõ niſi ea quæ collegimus ab autoribus noſtris dicemus, hæc quæ hincinde uidimus & experti ſumus. Accidit igitur in primæua ætate diſpoſitio, quæ ſaphati appellatur, aut fauoſitas, aut uulgari noſtro, malum

Recta & diſtincta eloquutio ſeptimo anno oſtenditur.

puerorum. Quæ ægretudo non cauſatur, niſi ex corruptione lactis, aut ſuperabundantia eius, aut ex diſpoſitione contracta à uentre matris, ſeu natiuitate. & quamuis ſecundum ſentẽtiam Raſis, in tractatu ſeu libello de ægretudinibus puerorũ, ſit aliqualis differentia inter ſaphati, & fauoſitatem, quia in ſaphati nulla eſt ſquama, ſed ſola excoriatio, in fauoſitate uerò ſunt puſtulæ, à quibus emanat ſanguis mixtus cum ſanie, aut aquoſitate, & apparent quaſi ſquamæ deſuper. Et tamen ſecundum eiuſdem ſententiam, fauoſitas eſt ſpecies ſaphati, & non differunt, niſi ſecundum maius & minus, & ex eo, quia non accidũt niſi ex corruptione ſanguinis, aut lactis, aut ſanguinis permixti cum phlegmate ſalſo, ut dictum eſt, quæ diſpoſitio, ſecundum ſententiam autorum, nullatenus curanda eſt, niſi cura naturali, aut ipſa ducente infantem ad extraneam aliquam ægretudinem, imò tales ſaphati, ſecundum ſentẽtiam Gal. Auice. Serapi. Alliabatis, & ferè omnium autorum medicinæ excuſat infantẽ, ſeu præſeruat à uarijs, & diuerſis ægretudinibus, ſicut epilepſia, matre puerorum, ſpaſmo, tinea, & tiria, & melãcholicis paſsionibus, reddit infantem

Cauſæ morbi iſtius.

Differentiæ horũ duorũ morborum.

infantem hilarem atq; iocũdum. Set quia hodiernis temporibus oportet medicũ non ſecundũ canones operari, ſed aliquãdo, non tamen in totũ contra canones, & ideo oportet medicũ uolentẽ addiſcere curam huius diſpoſitionis, nullatenus reſtringere, ſed magis applicare medicamina trahentia leui attractione, aut ſuaui, lauãdo caput lotione leui, facie eleuata uerſus cœlum, cũ decoctione ordei excorticati, & maluæ. Deinde *accipere caules torrefactos leui torrefactione ſuper cineres, & ungere butyro loto, & capiti infantis applicare: quòd ſi contingat huiuſmodi ſaphati reſtringi, tunc debet recipere folia hederæ, & ſuere ad modũ bireti, & torrefacere, & ungere, ut dictum eſt de caulibus. Set defœdatio faciei, aliquãdo odioſa eſt matri, & partibus, tũc ad remouendũ eã abſq; periculo, debet mater, aut nutrix habere caput lactis, & ungere faciem infantis, continue trahendo manũ uerſus uerticem capitis. Quòd ſi infantem inſtantiam uigiliarum pati contingat, & continue caput moueat hincinde, ex eo quia manus eius ſunt faſcia ligatæ, unde non poteſt manu ſcalpere, tunc apprehendimus hoc non prouenire ex alio, niſi ex maxi-*

ma materiei acuitate, aut uenenoſitate. Et tunc nutrix accipiat atriplices, & torrefaciat eas leuiter ſuper cineres, & capiti infantis apponat: attrahit enim ad ſe uenenoſitatem humoris, & acuitatem, teſte Raſe, tractatu præallegato. Qui inquit, quod quotieſcunque contingit infantem clamare, & continue moueri, debemus adminiſtrare folia atriplicis, & ego expertus ſum, quòd ſi contingat infantem eſſe adultum, ſupra ſcilicet unum annum, tunc competit huiuſmodi unguentũ, prius tamen purgata nutrice, & ipſa obſeruante debitum regimen.

Nota atriplicis facultatem.

℞. ceruſæ, litargirij añ. ℥. ß. lixiuij de cineribus uitis. ℥. iij. olei roſati. ℥. j. ceræ. ℥. j. liqueſiat cera cum oleo roſato, & terantur cæteræ medicinæ, & conficiantur omnia cum duobus uitellis ouorum aſſatorum.

Aliud ad idem. ℞. *Gallarum ℥. iij. granorum almel ℥. ij. baurach aur. unum, ſulphuris citrini aur. ij. arcenici rubei, ariſtologiæ amborum ℥. ß. ſalis almoniaci, fruſti teſtudinis ueteris furni, amygdalarum amararum excorticatarum, æris uſti, uenarum citrinarum, merdaſengi, radicũ capparorum, foliorum fici ſiccorum, radicum arundinis ſic*

Almel, grana ſunt uuarum paſſarũ.

nis ſiccæ, ζimar, aluminis iameni, ſief memitæ, oli bam omnium an̄. aur. j. terātur medicinæ, & cribelentur, & conficiantur cum aceto uini, donec in unguentum reducantur, & ponantur ad ſolem, donec permiſceātur: deinde caput pueri ungatur: hoc enim unguētum eſt utile, non ſolum ad ſaphati, ſet etiam ad omnia ulcera capitis, ad tineam, allopiciam, & ad lendes, pediculos, & ad ſcabiem, & ad ſimiles etiā ægritudines antiquas. De expertis ad huiuſmodi ægritudines, eſt ſtercus gallinæ uſtum, uel aridum permixtum cum melle, expertū eſt mirabiliter, iuuare radices altheæ decoctas cū urina pueri, & caput ungere. Fimus gallinaceus.

Appendix primi capituli ſecundi tractatus.

E T *ut ad curationem morborū deueniamus, quod eſt iam propoſitum, qui propè ſunt infiniti, quibus & iuuenes, ſeneſq; ſolent implicari, rem profectò triſtem, & ſuſpirioſam, & negotioſam, quæ laborem artificibus, utilitatē ijs qui utuntur impertiat, quæq; imperitis ſit auxilio, peritis, dum exercetur, dolores, anxietateſq; retribuat. Et ea ipſa & unica* ἰατρική *eſt, quod ſi impatibile, atq; inalterabile eſſet corpus,* Morbi prope ſunt infiniti.

ſemper optima conſtitutio perduraret, neq; artis præ ſidio, aut artificibus indigeremus. Cũ uerò alteratur, corrumpitur & uertitur, neq; eundem ſeruat prioris ſtatus tenorem. Idcirco auxilium deſyderat. Quare quot modis alteretur corpus, dicamus. Alteratur qui= dem à nonnullis neceſſariò, ab incertis uerò nõ neceſſa riò: quæ neceſſariò lædunt, hæc ſunt, quæ nulla ſcilicet ratione euitari poſſunt: & ſunt ſex numero, quæ non naturales dicuntur: quæ corpus humanũ (ſi recte adhi bentur) incolume conſeruant. Si uerò haud recte cor pori accõmodentur, tunc idem deſtruunt. Non neceſſa riò ea ſunt quæ ab euentu, & præter ſpem obueniunt, ut obuiare feris exitialibus, enſibus, ruinæ ædificiorũ, incẽdio nocturno, ſubuerſioni, & reliquis, quorũ cer= tus non eſt numerus. Vtrunque tamen conſiderantes, huic primo morbo, quẽ principio præponit autor, cu rationes adferamus, primò inquirentes quæ ſit ægritu do, quæ ſaphati ab autore dicitur, quæ habeat accidẽ tia, & quæ ſit eius cauſa, quæ præcipue eſt intentio & communiſsima, quam medicus ob oculos habeat, ut unãquãq; cauſam efficientẽ morbũ reſcindamus, quod fiet, ubi contrariũ diſpoſitioni auferẽdæ exhibebitur. Nã calido affectui cauſa frigida cõtraria exiſtit, frigi do uerò calida, eadẽq; in cæteris ſeruata proportiõe. Etenim immoderatũ moderato contrariũ eſt, alterũ ſiquidem ſecundũ naturã, alterũ uerò præter naturã.

Cauſam morbi ob oculos medicus habeat.

Autor iſte etiã ſi per omnia Rhaſam ſit ſequutus, fauũ tamen, & aſſaphati ſiue ſaphati, & ſimul faciei, & capitis ulcera cõfundat, Græcis κηρίον dicitur, fa= uus

uus ſimilitudine quadam, ſaphati uerò Arabicum eſt, quod eſt Latine faciei puſtullæ, & ulcera. Set Rhaſes appellat aſſaphati, quod eſt puſtullarũ rubor, quæ in facie adparent, & ſunt acores, & acuitates, aſperitateſq; cuiuſdã humoris cholerici, ſic cutem fœdantis, à quibus tenuis ſanies, & moderatè uiſcida erũpit, humiditaſq; ad mellis ſpeciẽ ſtillatur. Rhaſes uult hunc morbũ à multitudine ſanguinis fieri unà cũ humiditate uiſcida cutis qua abũdat infans. Quare ſic curato, incipiẽdo à nutrice, propter alimentũ quod ſumit ab ea. Nutriatur nutrix uino claro, debili & ligophoro, aut bene diluto: cibis nõ nimium calidis, neq; acribus, ut ſunt ſynapij, caules, aromata, carnes ſalitæ, & reliqua eiuſdẽ generis. Vlcera infantis ſic curẽtur, abradatur caput, & exin lauetur cũ lotione aſtringente, potius quàm cũ pſilotro, & depilatorio unguẽto, niſi iã ulcuſcula impedirẽt, & demũ folia atriplicis appone, quòd ſi hæc nõ ſint ſatis, accipe decoctũ mẽtaſtri, ſatureiæ, maioranæ, & roſarũ rubentiũ, & corticis malorum punicorum, hoc etiã unguento utere. ℞. litargirij, ceruſæ præparatæ añ. ℥. ij. balauſtij, acaſiæ añ. ʒ. j. miſce & cũ oleo roſato, & modico aceti recipito, mane & ſero liniatur caput, præcedẽte primò ablutione capitis. Adde ſi uelis thuris. ʒ. iij. Itẽ aloen tritiſſimã, cum arida plantagine mixtam inſpergito, balauſtium etiam tritũ ſiccũ appone, aut aqua excipiens utitor. Et hæc ſufficiant, hoc unũ præcipuum nõ negligẽtes, quod ego pro miraculo & inaudito adfero, cuius ego teſtis ſum oculatus, infantes ſcilicet cuiuſdã mulieris,

Curatio incipiẽda à nutrice.

Mulier nũquam menſtruoſa quæ peperit, à me viſa.

quæ neq; in partu, neq; ſana, uiſa eſt unquã fluxiones illas cõmunes, & purgationes (quæ mẽſtrua dicũtur) pati, hoc morbo ſæpiſsime corripi.

De Epilepſia, CAPVT II.

EPilepſia eſt ægritudo prohibens membra animata ab pauperatione ſenſus, & motus non integre, pro pter opilationem contingẽtem in uentriculis cerebri, & ſpirituum curſibus ſenſiti uorum, & motiuorum. Fit autem talis ægritudo, merito alicuius timoris, ſiue ſtrepitus, uel huiuſmo di. Accidit autem talis ægritudo infantibus, in pri mæua ætate, aut poſt natiuitatem, aut in natiuita te, quòd ſi accidat à natiuitate, non curatur, aut uix, niſi ex permutatione ætatis, aut regionis, aut temporum anni. Teſtatur hoc Hippocrates, in ſe cunda Aphoriſmorũ particula. Teſtatur hoc Aui cen. prima tertij cap. de epilepſia, & ferè omnes autores. qui ſi non curentur ex tali permutatione, cum illo commoriuntur. Si autem eſt poſt natiuita tem, & ſit infans lactens, cibum non ſumens, tunc oportet nutricem habere regimen in ſex rebus non

natu

naturalibus, uidelicet habere aërem remotum ab omni mala impreſsione, cauere ab omnibus cibis multiplicantibus materiam phlegmaticā, ſicut ſunt piſces quicunque, ſicut lac, & omne quod conficitur cum paſta, carnes groſſæ, uinum nigrum, legumina, allia, cepæ ſcaloniæ, & omnia olera, exceptis bugloſſa, acetoſa, borragine, fructus crudi etiam uitentur, acetum, & omnes res uaporoſæ, ſed ſumat carnes uitulorum, aut hœdorum, aut caſtrorum, perdicum, phaſianorum, utatur ouis ſorbilibus. Conſidereturq́; lac ipſarum, utrū ſit aquoſum, aut uiſcoſum: quod apprehenditur accipiendo unam guttam, aut duas lactis, & ponere, aut mulgere ſuper unguem, aut ferrum terſum, & politum, ſeu marmor, aut uitrum, & comprehenditur utrum lac retineatur illic tempore longo, uel non, quòd ſi flectendo, aut plicando aliquod iſtorum, lac retineatur, nec remouetur, comprehendimus lac eſſe groſſum, & uiſcoſum: quòd ſi parum flectendo deſcendat, nec retineatur ſecundum partem, tunc apprehendimus ex illo, lac eſſe maximæ aquoſitatis. Et oportet rectificare lac nutricis, ſtante lacte groſſo, cum reducentibus, & rectifi-

Probatio lactis.

cantibus lac ipſum ad mediocritatem reducendo. Quæ omnia inferius dicentur. Sed quia talis ægritudo multum infeſtat infantem, & patrem, & matrem terret, omnesq́; aſtantes. Et cum infans nihil poßit ſumere per uiam oris, quod ſi ſumat, parum eſt, ideo ponentur, quæ experta ſunt in cura epilepſiæ. Sententia autem plurium autorum eſt, quòd ſmaragdus ſuſpenſus collo remouet epilepſiã. Sententia omnium autorum eſt quòd pæonia quomodocunque collo ſuſpẽſa, ſiue ſemen, ſiue radix eius tollit epilepſiam: & hoc uerum, & probatum eſt. Pariformiter aſſerunt aliqui autores, quòd ſi quis combureret ſuem ſpinoſum, ſeu ericium, & aliquid pulueris ad bibendum dederit, ſubitò tollit epilepſiam. Teſtantur aliqui fide digni quòd lignũ crucis, quod lignum naſcitur ſuper quercu, ex quo fit uiſcus, ſuſpenſo collo tollit epilepſiam, & omnem uertiginem. De rebus autem maxime expertis, eſt theriaca magna, ſeu andromachi, permixta cum lacte mulieris, cum pauco ſaccharo roſato. Antiqui tamen infantes cauere debent ab omni terrore, & ſtrepitu, qui habeat inducere talem morbum.

De ericio nota.

Appen

Appendix ſecundi capitis.

TRes ſunt morbi qui non nihil inter ſe commune habent, epilepſia, ſpaſmus, & mater puerorum. Qui ratione tantum maioris, aut minoris differunt. Sed quia à doctore tribus capitibus, uelut tria eſſent diſtincta, deſcribuntur, ideo ſuo loco omnia dicantur. Venientes primò ad epilepſiam, quæ bifariam conſideratur à medico, aut enim cum ea naſcitur puer, ab intemperie non parua cerebri, aut locellorum, aut à ſemine uiciato, quare inter hæreditarios morbos collocetur, quod nos uidimus ab eadem matre omnes ferme maſculos illo morbo periiſſe, perinde ac fit à tabe aut phthiſi, qua perierunt omnes utriuſq; ſexus illius opulentiſſimæ familiæ quæ eſt monſpeſſuli, & eſt familia fortiana, quæ ortus traxit ab Hiſpania *citeriore. aut poſt partum, & ex accidentibus cauſis accidit, quæ deſtruuntur, aut loci mutatione, ætate, tempore, aut medicamentis.* M*edicamēta uerò hæc ſunt: relicta nutrice, cuius lac ſatis per autorem corrigitur, quare proderit coagulum leporis cum mellicrato infanti dare, & eo die lac nõ recipiat, ſed ſolus hydromellis uſus ſeruetur, quod uices lactis geret, addendo ℈.ß. uiſci quercini ſubtiliter puluериſati, quodq; appenſum collo etiam prodeſt menſe martio, decreſcente luna decerptum, quod* Druidæ Gallorum *ſapiētes ſyluiuagi, illo menſe colligebant cum ceremoniis, & ueneratione.* Ru*tha etiam, aut aſſa fœtida naribus appoſita prodeſt, quam inungas oleo coſtino. nutrices uictu ca-*

Epilepſia morbus hæreditarius.

Nota.

De viſco querno.

lidiori regantur, ut lac calidius, ſubtiliusq́; efficiatur: infantium quoq; capita operiantur puluiſculis naturæ feruidioris, qualia ſunt cyperus, capillus ueneris. Conueniet etiam cerebrum aßidue inungi calidis, oleo ſcilicet anethino, irino, & amaracino, neq; caput unquàm lauandum eſt, uel aqua tepida, uel frigida. Sed ſi neceſſe fuerit ſordes abſtergere, id facito aphronitro, id eſt, ſpuma nitri, & melle, & poſtea aqua calida leuiter abluas, cauendo ne totum caput immergatur, madefiatq́;. Dato etiam mel deſpumatum, propter ſtomachum, à quo multa patitur cerebrum, collo etiam ſuſpendito pæoniæ radicē uiridem, ut ſtomachum attingat. Cæterum ſi cum epilepſia infans naſcatur, omni ope eſt nitendum ut ſic alatur infans, ſic ſubſtentetur, ut cibus ſit & ætati, & morbo conueniens, quod fiet partim per nutricē, & aduenientē ſecūda ætate, aut tertia, uiuet ſanus, quod Deus optimus faciat. Et hæc de epilepſia morbo ſanè difficili.

Ab ſtomacho multa cerebrū patitur.

Aetas varia epilepſiā curat.

De

De Spaſmo puerorum,
CAPVT III.

Accidit pueris ſpaſmos de repletione, & inanitione, de repletione aũt maxime carnoſis, de inanitione autẽ infantibus, aut propter febres excitantes, aut propter continuos clamores, unde contingit aliquãdo infantes tetanari, ut flecti non poſſint, nec ad partẽ anteriorẽ, nec poſteriorem, quæ paſsio ſecundũ aliquos appellatur alcubes, uel alcuſes. Si igitur patiuntur ſpaſmũ de repletione, cuſtodienda eſt nutrix, ne eius lac ad humiditatẽ multam declinet, id eſt, ne lac ſit aquoſum, ſed nutriatur magis cibis habentibus ingroſſare lac, & abſtinendus eſt infans à multa lactatione, et à multo ſomno, inungenda ſunt quoque membra ipſius ex oleo irino, id eſt, liliorũ alborum, aut de oleo alkiri. Si autem contingit infantem eſſe exſiccatum, nutrienda eſt nutrix cibis humectantibus, tam à ſubſtantia, quàm à qualitate, ſicut ſunt carnes laudabiles, cum rebus frigidis, & humidis decoctæ, & maxime ſi ſpaſmus talis ſit poſt febres longas. Et inungendæ ſunt iuncturæ cum oleo uio-

lato, & pauco ceræ. Nonnulli *autem intromit-tunt infantes in balneum*, ex *decocto capitum porcorum iuuenum*, aut *caſtrorum*, aut hedo-*rum*, faciunt *decoctionem iſtarum carnium*, uſq; ad relaxationem ipſarum, & intromittunt infan-tem in tale balneum: deinde faciunt unctionem ex oleis iam dictis. hoc tamen experientia ſcio, quòd quàmplures infantes uiderim tetanatos, ut non poſ-ſint flecti ad partem domeſticam, neq; ſylueſtrem, qui cum ſola unctione facta ſpondylibus colli, ex oleo liliorum alborum, aut humida hiſſopo releua-ti ſunt, & curati fauente domino à tali contra-ctione. De rebus autem maxime expertis, maxi-me & ſtante ſpaſmo humido, ex theriaca magna ſeu andromachi.*

Appendix

Appendix in Tertium Caput.

DE eo morbo nunc agitur, qui proprie morbus eſt cerebri, hoc eſt ſedem habet in eo, & dicitur Σπασμός, Latinis uerò conuulſio eſt: & fit, ubi ſine electione muſculi & nerui trahuntur, ueniuntq; in eam diſpoſitionem, quam etiam in motibus factis ſecundum adpetitum, & uoluntatem, ratione motus muſculorum, qui eſt uoluntarius aſſumpſerunt: eius ſpecies ſunt tres, τέτανος tendens rectam & immobilem ceruicem, ἐμπροσθότονος ubi mentum pectori appropinquatur, & contrahitur ſic, ut non poſſit auferri, οπισθότονος adnectẽs caput ſcapulis quo minus nõ amoueri poßit. Præterea ex autoritate Hippocratis, aliquando ex plenitudine aliquando ex inanitione fit, quod primò erat dicendum, neglectis cæteris partitionibus inutilibus, de ſpaſmo ſcilicet puerorum, & ſenum, deq; eo qui antecedit febrem, & eo qui ſubſequitur, alij quintam addunt partitionem, quæ eſt eadem cum ſecunda: Nam ſpaſmus qui accedit poſt longas potiones, & uiolenta pharmaca, inanitionem indicant: contra uerò repletionem, ſed his iam iactis quæ gratia artis dicta ſunt, infantũ ſpaſmo curando nos accingamus, uniuerſale documentum accipientes, infantes ſcilicet tetano ſæpius corripi, ſed eo diligentia medici ſæpius curantur. Quòd ſi ab inanitione, & exſiccatione (quæ recipitur à longa febre) quæ uia eſt ad ecticam, nam teſte Galeno, longa ægritudo in æqualem intemperiem mutatur. Et tunc

Species uariæ ſpaſmi.

oleum, & operam in pluribus medicum perdere affirmamus. dico in pluribus, quando non ſit dare regulam quantumuis generalem, quæ exceptiones non habeat, præterquàm iſta: maioribus noſtris pares eſſe nõ poſſumus. Sic igitur curato, ad nauſeam, aut propter lactis corruptionẽ, aut abundantiã quæ ægritudinis cauſa eſt, infantẽ duc, & cũ aqua bugloſi diſſolue puluerẽ diamoſchi, & diapliris, aut aromatici roſati ℈ ß. & dato infanti. Nutrix theriaca utatur, neq; conſulo quòd eam infanti exhibeas, propter nocumentũ, & theriaces uires, quas imbecillus, nedum ſanus ferre poteſt, & lege Aetiũ Galeni integrũ paraphraſtẽ, ſuis digreßionibus & diſputationibus relictis, qui maiori luce, & potioribus uerbis, omnia ex Galeno tranſcripſit, de uſu etiã theriaces, probatione, compoſitione, & electione. Perungatur etiam infans aut oleo irino, aut lilij, aut alkiri, id eſt, uulgo keri, & eſt uiolæ ſpecies, quæ eſt lutea, Latini uiolam romanam dicunt, nocte plus redolentem, quàm diu, prodeſt etiam decoctum uerbaci, uulgo tapſi barbati. Poſtea uerò adderẽ oleum roſatum, & amygdalinum. Sed ad infantium uigilias accedamus.

Nulla regula gñalis quę exceptionẽ non habeat.

Theriaca infanti nõ exhibenda.

De

De inſtantia uigiliarum, CAPVT IIII.

ACcidunt etiam pueris inſtantiæ uigiliarum, propter quas accidūt pueris inſomneitates & clamores perturbantes, & nutrices, & omnes domeſticos, cui accidenti & ſi uaria nominentur ab autoribus, ſemper à leuioribus inchoanda eſt cu ratio: cùm omnia prouocantia ſomnum, narcotica ſint, & quodammodo ſtupefacientia. A leuioribus ergo fiat unctio fronti, & naribus, ex oleo uiolato: Secūdo ex uiolato oleo, & anethino permixto cum lacte mulieris ipſum lactātis, & modico ceræ: Tertio adde unctioni ſupradictæ parū opij, aut ſucci iuſquiami, aut mandragoræ: Quarto facerē unctionē ex unguento populeo, leui tamen unctione, & in parua quantitate. Et quāuis ſecundū ſentētiā autorum noſtrorū, debeamus magis procedere per extrinſecus applicata, tamen contingit aliquando intrinſecis aliquid adminiſtrare, ut infans cibum ſumat, accipiat panatellam, cum emulſione ſeminis papaueris albi, quamuis etiam Raſis papauer

nigrum, quod minime laudo uel eius euulſionē administret. uulgares autem noſtri adminiſtrant infantibus parum medicamenti illius, quod dicitur requies, deſcriptione Nicolai. Quæ ſi ſit laudata ab eo, non tamē niſi urgēte neceſsitate eſt miniſtrāda.

Appendix in uigiliam puerorum.

Stomachus velut terra plantis nobis datus.

Extra ægritudinem uigilantes nimium infantes, aut à fame ex ſtomachi inanitione, quem natura, uelut terrā plantis, creauit, & dicitur promptuariū, deditq; indigentiæ ſenſum, cuius impetu, animalia ad cibum, ad potum concitata ſunt, & uocatur eiuſmodi expletionis, deſyderium, adpetitus. Quare cibus angoris eſt remedium, ab eo ergo angore fit uigilans infans, ab excrementis etiam, & lotio exurente, quare linteis mundis opus eſt, & exquiſita munditia, ut ſi ab ægritudine, aut ſcabie, aut dolore quodam interno non dormiat, ægritudinem, cuius eſt accidens uigilia, aut cui accidit uigilia, ſua methodo curato, non omittens inſomnia, quibus infantes noctu affliguntur. Quare ſtatim à cibo infantem cubitum ne reponas, at quantulumq; mellis depurati præbe lingendum, quo facilius concoquat, iubetoq; ut meliori lacte nutriat mulier, à qua etiam fit uigilia infantis. cætera lege.

Capu

De ægritudinibus oculorum infantium,

CAPVT V.

Accidunt infantibus ægritudines oculorũ uariæ & diuerſæ, uidelicet ophthalmia, tumefactio oculorum, ſtraboſitas, quæ duæ ægritudines primæ maxime accidũt oculis, propter frigiditatem, aut propter corruptionem lactis. Straboſitas autẽ, aut contrahitur à principijs natiuitatis, aut propter malum regimẽ ſituationis infantis, in aſpectu luminis, aut modo iacendi. Si igitur accidat tumefactio oculorum, & ſit rubor in facie, & fronte color rubeus, tunc hoc medicamen confert. ℞. *ſucci menthæ, foliorũ roſarum añ. ʒ.j. croci, myrrhæ añ. ʒ.j.ß. pulueriſentur, & conficiantur cum lacte mulieris, & ſubponatur oculis extrinſecus, & fronti, quotidie renouando donec aperiantur oculi. Si autem in oculis non fuerit rubedo, nec calor in facie aut in fronte,* ℞. *myrrham, crocum, aloem, & folia roſarum, & confice cum bono uino, expertum maxime ad hoc, mittere in nares infantium parum ambræ, diſtemperatum*

cum lacte mulieris. Si autem infantibus pruritus, aut ſcabies cum ſola emulſione lactis nutricis, ſumma eſt cura. Si autem patiantur ſtraboſitatem, ſeu oculorũ tortuoſitatem, maximè ſituandi ſunt ſuper latera oppoſita, ut exempli gratia, ſi oculi ſunt eleuati, & cotorti uerſus angulũ, ſeu lachrymale ſiniſtrum, ſituandi ſunt, ut iaceant ſuper latus dextrum, & lumẽ ſituandum eſt in latere dextro, ut ex intuitu illius luminis dirigãtur oculi. Oppoſito autem modo, Si oculi ſint contorti uerſus lachrymale dextrum, uel uerſus partem dextram, tunc oppoſito modo ſituandus eſt puer, & lumen eius. Si autẽ oculi ſint ſtrabi, oppoſito modo, quia unus ad dextram, alter ad ſiniſtram, tunc ſituandus eſt infans corpore reſupino, & accipere ſpeculum calibeatum ſphæricæ figuræ, aut picturas pulcherrimas, aut aliquod delectabile inſpiciat infans, ut ex conuenienti intuitu, & delectatione figuras, aut ſpecies repræſentatas intueatur, unde oculi dirigũtur, ex rectitudine oculi intuitus. Et ſic propter continuã conſiderationẽ firmantur oculi, in diſpoſitione, ſeu ſitu ſuo naturali.

Appen

Appendix in caput quintum de Oculis.

NVnc ſe offert oculorum morbus, quem non methodice, nec artificioſe curamus, niſi caput curemus: at caput non curatur, niſi corpus cures: eſt in argumento igitur, nos primo debere corpus curare. Set in infante, & tenello uix quæ ſunt artis obſeruamus, cuius uires ſunt imbecillæ, nec uim pharmaci ferre poteſt ſine noxa, ſed ubi interna ueniunt purgãda, aut alterãda, hoc facito in corpore nutricis, à qua totum requiritur nutrimentum. Neq; ignoramus duas cauſas communes uniuerſalium morborum, aërem, & uictum, quare aëre nunc relicto accipiamus uictũ infantium, qui eſt lac, quo aut uiuit ſanus, aut æger. Quare habeto corpus nutricis ob oculos, à qua iudicationẽ accipe. ſed ad oculos læſos bona pace, & uenia quadam redeamus, quos ſic curato. Accipe lycion aut Indicum, aut Pataricũ ab urbe Patara Lyciæ, ubi Apollo reſpõſa dabat, uerum Indicum præſtat, quod deſyderamus. Quare ſeplagiarijs conſulerem, quod fieret ex Rhamno potius, quàm ex caprifolio, aut buxa ſpina, quæ eſt Indica qua caremus: nam antiqui ex radicibus Rhamni plerunq; præparabant, deficiente Lycio Indico. Lycion ergo plurimo lacte dilutum inſtillato, teneriſq; linteis obliga, exin oculos ipſos aqua ex decocto chamomillæ, baſiliconis, & roſarum rubentium ablue. Ad albugines uerò oculorum (quas leucomata uocant) quæq; ab eiulatu, aut humore fri-

Oculos non curabis, niſi caput cures: nec caput, niſi corpus curetur.

Duæ cauſæ vniuerſales omniũ morborũ contra Hippocratẽ libro de flatibus, ſi eius libri ſit author.

Lacte, hæreditate relicta, aut viuit ſanus, aut æger infans.

De lycio lege quid ſentiat.

Chamæmelon latine dicitur.

gido cerebri, aut ab aëre humido & frigido fiunt, ſolani igitur nigri ſuccum illinito, aut anagallidos ſiccũ defecatum inijcito. Hæc ſunt quæ de oculis potuimus adferre, quantum uerò ad oculos ſtrabos attinet, nihil ne eadem cum autore referamus, & ne iam actum agamus.

De ægritudinibus aurium internis,

CAPVT VI.

Accidunt pueris puſtullæ nonnullæ intra aures, emittentes ſaniem, & aquoſitatem, quibus ineſt pruritus maximus, quo infeſtãtur pueri. Et nutrix propter clamores ex dolore, & ſi multa dicantur ab autoribus, pauca tamẽ experta enarrabimus. Primũ eſt, accipe cotũ antiquũ, id eſt, nuper carminatũ, & impone in aures in modũ tentæ, & mũdifica ſaniem ab ulcere egredientẽ, & iterato tentam aliam mundam immittas. Secundum eſt ut intromittas tẽtam inunctam oleo communi, aut aqua mellis: & ſi contingat infantem liberari, replicetur tenta, uſque ad perfectam ſanationem. Quòd ſi ſanies adhuc emanauerit tunc tenta iam

dicta inũcta aqua mellis, & puluere ireos, aut myr rhæ, aut aloes intromittantur uſq; ad ſanationem completam. Aliud ad idem ſimiliter ualet, *accipe alumen, & diſſolue in uino, & intinge lycion, & intromittas.* Accipe *etiã nitrũ, & tere cũ aqua, & aceto, & intromitte.* Quòd *ſi contingit infantem iſtis non liberari, tunc ſcias fiſtulam eſſe factam intrinſecus, & infantem non liberari, niſi ex ætatum permutatione.*

Appendix.

AVris ſenſorium auditus eſt, quæ morbis etiã in infantibus ſit obnoxia, aut enim ſurditatem patitur, aut ulcera, aut dolores, aut ſonum, & tinitum. A *quibus omnibus medicus infantem liberabit, qui uolente hoc* Aeſculapio, *omni morbo unum, & alterum debet habere pharmacum, ut medeatur in laudẽ, atq; admirationem artis diuinæ, de inflammatione auriũ, & earum humiditate, accipe album oui, cũ lacte mulieris, & inſtillato, aut lumbricos terræ cum oleo roſaceo. Si uerò fuerit humiditas fluens, utere tutò, & quàm frequentiſsime aqua mellis.* Rurſum *ſi dolor aurium ex flatu, ac uentoſitate, & tumore proueniat, origanum cum lauri folijs, ſaluia, & anetho per decoctum, cuius uapor per canalem inijciatur: aut myrrhã cum oleo oliuo coctum, in aures lepide inſtillato. hactenus de auribus.*

Medicus munitus ſit remedijs.

Ars medica ars diuina.

De apoſtematibus auriū externis, CAPVT VI.

ACcidunt pueris puſtulæ poſt aures diuerſorum colorum, uidelicet albæ, citrinæ, nigræ, & rubeæ. Nigræ autem mortales quodāmodo ſunt, quāuis remedia ſint eis tribuenda: citrinæ aūt ſunt minoris maliciæ: albæ uerò ſalubres unà cum rubeis quæ nullatenus poſſunt curari, ubi infans per os nihil ſumat. Set magis regimen adhibendū eſt nutrici. Hoc Raſis in tractatu ſuo de infantium morbis teſtatur. Iſaac de ægritudinibus puerorum idem teſtatur. Et princeps Auicenna tertia primi, de regimine infantium. Remedia eorum adhibenda ſunt extrinſecus, & ſtantibus puſtulis citrinis, ſic medeamur, nutriatur nutrix oleribus frigidis, ſicut ſunt endiuia, ſcariola, lactuca, & cucurbita ſecundum Auicennam. Set ſi ſint albi coloris puſtulæ, tunc nutriatur fœniculo, origano, id eſt, horū olerum decoctione, cū carne caſtrati, aut uituli, aut pullorum. Si puſtullæ uerò ſint nigræ, quāuis mortiferæ, ut teſtātur autores, adhibendū eſſet magis regimen iuuenum, quàm infantiū, nutrienda eſt nu

trix

trix cibis factis cum decocto bugloſſæ, lupulorum & carnibus iam dictis: medicandaq́ʒ eſt, medicinis corrigẽtibus prauam qualitatẽ, ſanguinẽ adurentẽ. Et ſunt ſyrupi de epithimo, de fumoterræ, de acetoſitate citri, cum aquis conuenientibus, puta aqua bugloſſæ, lupulorũ, & capillorum. Deinde euacuãda eſt cum appropriatis, ſicut eſt electuariũ de epithimo, diaſenæ ſolutiuũ, & non ſolutiuũ, pilulæ de fumoterræ, & Indæ. Et quãuis ſecũdũ ſentẽtiam Raſis, tractatu ſupraſcripto, competãt hieræ magnæ, tamen abhorribiles ſunt tẽporibus hodiernis, ideo illas relinquã. Quòd ſi contingat puſtulas illas eminẽtiam facere magnam, ſicut contingit aliquando apoſtemata magna retro aures oriri, aut intra aures, tunc fiat unctio cum oleo liliorum, aut cum oleo camomillæ, & adipe gallinæ, & anatis recentis, aut parũ butyri, & cum unctione quæ appellatur anodina, id eſt, confortatiua. quòd ſi contingat ab his apoſtema non diſſolui, accipe emplaſtrum factum ex decocto radicum maluauici, cum axungia porcina recente, & maturetur, tunc phlebotomo, aut ruptorio aperiatur: deinde chirurgicus ſe exerceat in conſolidando, & mundificando.

Appendix.

Fiunt præterea abſceſſus retro aures, aut circiter, quare aliam habent indicationem, quam non habent interna. Internis igitur utcunque pro modo rei curatis, externa curemus oportet, quæ ſic curato. Si apoſtema ſit frigidum, quippe tumores præter naturam à primis (ut bene docuit Galenus) qualitatibus, & compoſitis fiunt abſceſſus, Græce ἀπόστασεις *dicuntur. Et ſcito omnem inflammationem quatuor habere notas, ruborem, tumorem, calorẽ, & dolorem. Set ad fluxus pituitoſi humoris (qui Græcis* οἰδήματα *ſunt) quos ſic curato.* ℞. *olei camomillæ, de lilio, & benedicti, id eſt, philoſophorum uulgo, añ.* ℥. ß. *ſanguinis porci antiqui,* ℥. *j. ſtercoris caprini prius in uino cocti.* ℥. *ij. miſce & calidum appone: ad idem, ſtercus ouile cum uino coctum melle addito, ualet etiam in reſolutione adeps anſeris, & gallinæ, adeps etiam uaccinus, non ſalitus, cum oleo de lilio, & melle, quòd ſi ad perfectam maturationem tendas, utere his, farina lini, aut orobi, cum ſenetione. Quod ſi calida fuerint, utere temperatis, qualia ſunt uitellus oui, butyrum, radix altheæ cocta, & elixa, axungia porci, & caricæ, oleum oliuarum. Et his omnibus curantur fluxiones, & collectiones aurium. Quare ad oris ulcera me confero.*

Quæ temperata ſunt, id eſt, parũ excrementoſa.

De pu

De Puſtulis ſiue alcola oris, CAPVT VIII.

ACcidunt & pueris puſtullæ ori interno, & alcola linguæ & palato diuerſorum colorũ, quia quædam cinericiæ, quædam albæ, aliæ rubeæ, aliæ citrinæ, & aliæ nigræ, quarum quædam ſunt ſalubres, ſicut omnes, exceptis nigris, quæ aliqualiter participant naturam cancri, ideo curam nigrarũ relinquemus, quia hoc magis pertinet ad chirurgicum, quàm phyſicum. Si autem ſunt citrinæ, aut rubeæ cum percepta calefactione digito intermiſſo, tunc nutrienda eſt nutrix, & alẽda frigidis oleribus, ſicut endiuia, portulaca, ſcariola, cichorea lactuca, & huiuſmodi, ut lac eius ſit cauſa extinctionis calefactionis, & acuitatis cholerae, & ſanguinis. Si autem puſtullæ albæ fuerint, nutrienda magis eſt habentibus uim alterare ſanguinem, & lac, ſicut fit decoctione calamẽti, borraginis, fœniculi, & ſimilium habentiũ uim remouere maliciam ſanguinis. Palatum autẽ pueri, ubi puſtullæ erunt citrinæ ſeu rubeæ ungendum eſt cum aqua decoctionis balauſtiarum, corticum granatorum, cupularũ glan

dium, aut cum ſucco portulacæ, aut plantaginis, ſca riolæ, ſemperuiuæ, aut ſucco ſolatri. Sed de rebus *maxime expertis ut teſtātur* Raſes, Auicenna, & Iſaac *in locis proprijs, eſt diamorum, aut ſuccus mo ri* & rob *nucum*, & hoc expertus *ſum non ſolū in* alcola, *aut puſtulis, in* corroſione *gingiuarum*, & *linguæ infantium.*

Appendix.

ALcola Arabica eſt dictio, & Latine interpreta tur puſtulæ, ſeu oris ueſicæ, & præcipue infan tium, & ſunt ueſicæ linguæ, quas etiam curare conue niet. Sed quia uariæ & multicolores adparent, à uarijs humoribus, ideo non una erit curandi ratio, quippe quæ nigræ ſunt, deteriores & mortiferæ. Neq; eſt tan tū opus medico, ſed & chirurgo, qui habeat aut urere, uel incudere, aut ſoluta iungere, aut ſuperflua reſeca re, quod ultimū emplaſtris, & limimentis, aut ferro, in apertione abſceſſuū fit. Salubriores igitur, & quæ in ſperatæ non ſunt, neq; deploratæ, quandoquidem me dicum boni nominis decet, ægritudines deploratas eui tare. Sic curato igitur, nunquàm hic neglecta nutrice, cuius cibus corrigatur, & quantitate, & qualitate, pro modo ulcerum. Quare uiolas cōtritas accipe, aut ſolas, aut ſimul cum roſis, & puſtulis adpone, aut etiā rop, id eſt, ſuccus ex moris immaturis inſpiſſatis ad ignē, aut nucum, & dicitur ab officinis dianucum, &

linguam

linguam inunge. Amylon etiam, ubi puſtulæ humidæ nimium fuerint, cum cortice thuris, & gallæ, & totum aqua roſarum macerato, & linguæ infantis imponito. Succus etiam granatorum, aut cothoneorum, & malorum, ſeu pomorum maceanorum, quæ dulcia non ſunt, ualent pro ablutione oris, addito ſaccharo candido. & hæc de uicijs oris, & linguæ.

De dolore gingiuarum infantium, CAPVT IX.

ACcidũt pueris tempore emiſsionis dentium, dolores gingiuarum intenſi, & quo maiores erunt dolores, eo dentes erũt firmiores. Si autem accidit tempus emiſsionis in uere, uelociter oriuntur, propter caliditatem ſuperuenientem aeris: Si autem in æſtate, tardius oriuntur, propter frigiditatem autumni proximi: in hyeme autem adhuc tardius, propter temporis frigiditatem: in autumno uerò, ſi accidat, deterius fit, propter eius ſiccitatem, & frigiditatem. Succurrendum eſt autem tumoribus apparentibus gingiuarum, fricatione manuũ: quia tunc bauoſitates,

Vere dentes velociter oriuntur.

& humores emittunt. & cum lactent, ſtringunt papillas mãmillarũ: & cum intromittitur digitus, ſtringunt forti ſtrictura. Succurrendum eſt igitur eis, & accipe candelam ceream uirgineam, nouiter factam, & præbe infanti ut maſticet eam, quia propter teneritatem eius, & ceræ unctuoſitatem, cauſatur aliqua dilatatio gingiuarũ: fac etiã unctionem ex oleo lini, aut muſcilaginis eiuſdẽ, aut ex ſemine altheæ, aut ſtante multa caliditate gingiuarũ, ex muſcilagine ſeminis cytoneorum. A proprietate autem laudãtur pinguedo anatis, butyrũ recẽs non ſalitum: uerũ ultima laudatione laudatur cerebrũ leporis, & lac canis lactantis. Vltimũ autem remediũ eſt, gingiuas leui ſcalpellatione ſcalpere. Nonnulli autem autores recipiũt, ut toto tempore, quo durat dolor gingiuarum, fiat decoctio camomillæ, qua fiat lotio capitibus, & ſi dolor augmentatus fuerit, accipiat butyrum uaccinum, uel medullam cruris eius, & ponatur ſuper gingiuas, & cum apparuerint capita dentium, ponatur ſuper caput pueri, & collum lana mũda, & ſic permittatur, quoniam hæc eſt cura ſolennis, & probata.

Appen

Appendix.

Hic de dolore gingiuarum agitur, quando ſcilicet infans dentire incipit, quod circa ſextum menſem frequēter fit: & ſuboriuntur tunc inflāmationes, non tantum gingiuarū, & amygdalarum, ſed & ceruicis, à dolore pungente, & ſtimulante, ueluti à paxillo quodā gingiuas ſeparāte, molli igitur lana, & pura ceruicē & maxillas, totius colli ambitū, & occipitiū oleo dulci, & calido fouere oportet, inq; audiēdi meatus calidum oleum inſtillare confert: mel etiam moderate decoctum, illiniendæ gingiuæ ſuapte natura prodeſt, aut cum terebinthina: ab alto etiā infundito aquā capiti calidā ex decocto camomillæ, & anethi, & ita dentium eductio comparabitur expedita. Caueq; ne quid durum, & ſolidum mādendum præbeas, & nutrici aquæ potus imperetur, cibusq; qui minime mordax ſit, & ſorbitiones exhibeantur, aut ex tritico fracto, aut ordeo, cū luteo oui, & lacte caprino. Omitto, quæ magis ſunt ſuperſtitioſa, quā quæ ut quadam naturali infantum dentibus remedio ſunt, cuius generis ſunt, ſylueſtris cucurbitæ radix, id eſt coloquintidos, aut rubi radix, ex auro, & argēto appēſa, uirēs etiā iaſpis, quē ego omnino nō reijcio, ꝓpter Gal. autoritatē, & eſt utilis appēſus, pro amuleto, cuius rei Aetius multū experimētū fecit: eſt aūt amuletū, antidotus potētiſſima, & ualētiſſimū remediū, aduerſus inuidum & uenefica hactenus etiā ex antiq̄s hæc adducta, quæ citra liuorē legātur, & hæc de doloribus, & humoribus gingiuarū.

Frequenter ſexto menſe incipiūt dentire.

Ratio victus nutricis.

Virēs Iaſpis appenſus.

De amuleto vide ætium.

Deſcriptio amuleti.

De ſciſſuris labiorum,

CAPVT X.

ACcidunt & pueris ſciſſuræ labiorum, quæ cauſantur in eis, aut propter acuitatem lactis, aut propter duritiem mammillarum, aut lactis corruptionem, quod ſi fiat ab acuitate lactis, tunc regenda eſt nutrix frigidis oleribus iam nominatis. Quod ſi à corruptione lactis, rectificandum eſt lac, ut prius dictum eſt. Si uerò à duritie mammillarum, mollificandæ ſunt extremitates mammillarũ mulierum. Labia igitur infantiũ liniantur ex aqua roſacea permixta cũ oleo, aut pinguedine gallinæ, & accipe lanam bene carminatã, & pone cum ſucco plantaginis, ſeu lanciolæ cũ butyro, aut axungia gallinæ, & labijs unctionem fac. De rebus autem maxime expertis eſt accipere aquam roſarum, & farinã amidi, & unctionem fac. de rebus autẽ expertis, non ſolum ad ſciſſuras labiorum, ſed extremitatum mammillarum, & manuum, & pedum, uirgæ, ani, & matricis, ℞. ceræ citrinæ, adipis anatis, hyſſopi humidæ, olei roſati ana partem unam: dra

gaganti, anuli, muſcilaginis cytoniorum ana partem ℔ gallarum, cineris pilorum caudæ equi, ſulphuris, plumbi uſti ana partem unam & ℔. terantur terenda, & miſceantur, fiat unguentum pro labijs, ſuperaſpergatur puluis ſequens. ℞. maſtiches, gallarum, cineris caudæ equi, plumbi uſti, corticũ granatorũ, ceruſæ, dragaganti, corticũ thuris, ana partes æquales, infundãtur omnia per diem & noctem in uino pontico, & ad ſolẽ deſiccato, & fiat puluis ſubtiliſsimus. ad idẽ ℞. litargirij, myrrhæ, dragagãti ana pulueriſentur ſubtiliter, & cũ cera, oleo, & melle fiat unguentum. Sed prius madefiãt labia infantis propria ſaliua, deinde petia inuncta & ſatiata hoc unguẽto, labijs appone noctu: mane autẽ aqua tepida labia lauato. ad idẽ unguentũ ℞. ceruſæ. ʒ. j. ceræ. ℥. iij. litargirij, cachiniæ, argenti, maſticis ana. ʒ. ℔. olei roſarum quãtum ſufficit, fiat unguentũ. aliud ad idem: ℞. ciperi, aluminis, gallæ, myrrhæ, arcenici, plumbi uſti ſingulorum ana, cum modico oleo roſaceo, fiat unguentum. maxime ualet, quotieſcunq; adeſt nigredo ſciſſurarum labiorum.

Appendix.

Frequentia baſia, & multorum hominum fiſſuras excitant.

Vnguentum ex pomis vulgò pomata dicitur.

SCiſſuræ labiorum, quas alij fiſſuras uocant, fiunt duritie nonnunquàm papillarum, aut à uento, aut à lacte, aut à contagio quodam contrahitur in infante, baſijs etiam multarum gentium: quibus ſic ſuccurrito, lana carminarijs purgata, & uelut pectine tracta, & ſucco plantaginis, cum butyro, & axungia gallinæ calide labia infantis inunge, linimentum quod fit ex pomis, ex axungia ſuilla, cum aqua roſacea quam uulgo pomatam dicunt plurimũ confert, exſiccat etiam ſuccus glycyrhiſæ, parum in ore retentus, & manſus, quo labia infantis illineas. Cibis etiam aliquid ex malis acerbis miſcere oportebit, piriſq́;, ac meſpilis, aliquãdo lactucæ, aut intubi, ac portulacæ cibo admiſcendum eſt: quod ſi infans cibum capere non poſſit, nutricem eius huiuſmodi uictu curare oportet: necnon ora infantiũ cõuenientibus pharmacis illinire, quæ ſunt remedia moderata. Et *ſunt hæc omphacium in uino diſſolutũ, aut mulſo,* Rh*us cullinarius, flos roſarũ, ipſæq́; roſæ ſiccæ cum mulſo, aut melle roſaceo, farina erui cũ melle, galla etiam trita cum melle: aut accipe rhoen rubrum cum melle decoctum, decoctum etiam oleæ foliorum iuuat collutione.* ℞. *iuglandes ueteres integras unà cum cortice exuſtas, contere, deinde piperis grana* xij. *adijce thuris grana mediocria tria, hæc cũ melle ſufficienti mixta, illinito, & miraberis.* Q*uare ad gutturis apoſtemata me confero.*

De

De apoſtematibus gutturis, CAPVT XI.

Accidunt etiam pueris apoſtemata circa partes gutturis, quæ ſunt duarum amygdalarum apoſtemata, & uocantur uulgariter gaiones, quæ apoſtemata cauſantur, aut propter frigiditatem aëris comprimẽtis ſubſtantiã cerebri, aut propter nimiam caliditatẽ, aut propter nimiam plenitudinẽ infantium è ſuperflua lactatione. Cura autẽ ipſorũ eſt cum diligentia habenda, quòd fari neſciant, & nutrix, aut alius diſcernat utrũ febrẽ patiatur, aut non & an patiatur difficultatem deglutiendi. Et cum incipiat dormire, an uideatur quaſi ſuffocari, & tunc debet intromittere digitum in guttur, & leui tactu quærere à lateribus gutturis, ubi cognoſcat adeſſe, an non apoſtema. Quòd ſi reperiatur digito indice, eleuare debet apoſtema ab extremitate inferiori gutturis, ſubleuando ipſum leuiter, prius ex una parte, deinde ex alia: & exinde ungere debet guttur, cũ diamorum, aut rob nucum, aut cum ſyrupo myrtino. extrinſecus autẽ facienda eſt unctio, oleo liliorum cum pinguedine gallinæ, aut

anatis, apponēdo extrinſecus lanam ſuccidam, aut linum, aut ſtupam carminatam, aut accipe linum, uel ſtupam, & infundas in urinam pueri, & extrinſecus gulæ appone. De rebus autem maximè expertis, eſt caßia fiſtula nouiter extracta à canna, & piſta ipſam ultima contritione, & gutturi appone in formam emplaſtri. Secundum autem ſententiam Meſue de cura ſquinantiæ, attrahendæ ſunt aures ſurſum, aut pili qui ſunt in uertice capitis attrahendi. Sed hoc magis competit ſcientibus fari, quàm infantibus.

Appendix.

Adenes fortiter attrahunt, debiliter verò expellunt.

SVnt adenes in gutture & glandulæ, ſpongijs ipſis ſimiles, debiles ad expellendum, ad attrahendum uerò promptæ. Quare à cerebri ſuperfluitatibus, & pectoris quibus proximæ ſunt, ſæpißime inflantur, & intumeſcunt: adeo, ut infantes, & adultos graui morbo infeſtent. Hunc etiam morbum tonſillas appellant. Quare electri ſeu ſuccini geſtatio, non tam ornat, quàm defendit à uitijs faucium, quibus ſic ſuccurrito, lana ſcilicet ſuccida, cū oleis camomillæ, & de lilio, amygdalarum dulciū, & axungia aut gallinæ, aut anatis, iſta omnia proſunt. Quare ad tußim infantium me confero, quibus frequens eſt.

Succini geſtatio ꝓdeſt: vide etiā Galenū de collo appenſis.

De tuſsi & reumatiſmo, CAPVT XII.

TVßis accidit infantibus unà cum reumate, aut à frigiditate linguæ, ſic ut uix claudere poßint epiglottim aliquando ex frigiditate pectoris, aliquando uerò propter materiã deſcendentẽ à capite. Si accidat ex frigiditate linguæ tußis, tũc comprehendimus, quòd uix poßint deglutire, nec emittunt bauoſitates, & tunc curandi ſunt cũ adminiſtratione amygdalarum dulcium piſtatarum, quæ caricis pinguibus miſceãtur, & aqua fœniculi, & adminiſtretur manè & ſerò ſi deglutire poſſint. Si autem non, ſola unctione facta digito, aut penna ipſi gutturi, appone lac amygdalarũ dulciũ aut ſuccum liquiriciæ, cum farina amidi, & lacte amygdalarũ. Quòd ſi adſit tußis, & aſperitas gutturis, tunc cum muſcilagine cytoneorum, & penidijs, cum oleo amygdalarum dulcium: & hoc ubi non aderit febris: quòd ſi adſit, accipe ſuccum mali granati dulcis, miſceas penidijs, & ſucco liquiriciæ. Si autem tußis à catarrho fiat, quod cognoſcimus, ubi infantes emittunt bauoſitates, cum mul

titudine phlegmatis circa os. Tũc conuenient hæc medicamina. ℞. Seminis papaueris albi, draga ganti añ. ʒ ß. cucumeris ℈. j. & confice cũ aqua, in qua ſint cocti ſebeſten, & adminiſtra. Itẽ aliud ad tuſsim. ℞. Paſſulas enucleatas, & fac bullire in uaſe ferreo, ne indurentur, & poſtea remoue ab igne, piſta, & miſce penidijs eiuſdem quantitatis, da puero manè & ſerò ad medium nucis. Ad idem propter tuſsim frigidã. ℞. myrrham, & miſce cum melle & oleo amygdalarum, & propina non exiſtente plenitudine pectoris. Quòd ſi adſit plenitudo, accipe dragagantum, galbanum, & mitte cum uitello oui: & ſi in hoc multa laudata ſint ab autoribus, ſicut quæ iam dicta ſunt, de rebus maxi me conueniẽtibus noſtris temporibus, hæc ſunt: ſi infans paruæ ætatis, duorum, aut trium ſcilicet mẽ ſium, imò uſque ad tres annos, & cauſetur tuſsis per uiam defluxus, facias pectori unctionem, à leuioribus inchoando. Accipe butyrum non ſalitum, & caules torrefactos ſuper cineribus, & unge cau les dicto butyro: & tunc applica unum folium cau lis pectori, aliud dorſo correſpondenti oppoſito pectoris, aut fac unctionem ex oleo ſiſamino, aut

dulcium

dulcium amygdalarum, cũ pinguedine gallinæ, & butyro recenti, adde oleum uiolatũ, & parũ croci cum cera: unge etiam ex eo unguento, quod dicitur hiſopus hũida, aut fac unctionẽ ex ſeminis altheæ muſcilagine, aut lini. Si adſit febris, ungatur oleo uiolato, & amygdalino cũ aliquãtulo ceræ. Quòd ſi tuſsis fiat à reumate, & non remoueatur, tũc com miſſuræ capitis aſperge parum pulueris roſarũ, & ſandaracæ: confert etiam pilulam dare de ſtorace, quòd ſi capere non poſsit infans, etiam ſi ſit ſimilis grano milij, aut orobi, aut lenticulæ: confert tunc medicamẽ hoc, uidelicet multo tẽpore lactationis. ℞. gũmi arabici, ſeminis cytoniorũ, liquiritiæ, pe nidiarum, & cum lacte miſceantur, infanti admini ſtrato. Quòd ſi contingat pueros eſſe adultos, triũ aut ſeptem annorũ, & tuſsim patiãtur à catarrho, & ſtricturam pectoris: tunc conuenit ſyrupus de liquiritia, non ſtante uerò febre, cum ſyrupo de praſsio, & aqua farfaræ, capillorum ueneris. At ſtante febre, cum ſyrupo uiolato. Et fiant unctiones pectori præſcriptæ conueniunt pilulæ, ut ſunt de iera, de agarico uſque ad quinque numero, contingit aliquando tuſsim fieri à nariũ ſtrictura, quia humor, qui debet ſecũdum naturam emitti per na-

res tranſmittitur ad guttur, & tracheam arteriam. Competit tunc unctio facta ex butyro ſolo, in radice naris ſuperiori, inter duos oculos, & naribus penna imponere, aut coto oleum amygdalarũ dulcium, aut ſiſaminum, & ſi pueri poſſent attrahere per nares decoctum ordei cũ ſaccaro candico, aut aqua ordei, cum modico aquæ maioranæ, aut ſucci bliti: conueniet etiã medicamen diuertens materiã à partibus poſterioribus ad anteriores, fricationesq́; ſpatularum ſuaues, & leues, quæ non fiant, niſi præmiſſa purgatione, aut per os, aut clyſtere communi, aut ſuppoſitorio ex melle.

Appendix.

AD tuſsim accipe pinearũ moderate torrefactarum, ʒ.iiij. mellis deſpumati.℥. ix. confice & lambendũ præbeto, adde tragachantæ. ʒ. iij. ſeminis cucumeris ſimili modo torrefacti. ʒ. j & utere. Item accipe tragachantam in uino dulciſsimo madefactam, pineas aſſas numero triginta, amygdala ſcorticata, xxx. ſeminis lini aſsi, ℥.ij. ſucci liquiritiæ. ʒ.ij. mellis quod ſufficit, dato ad lambendum, bene facit cyminum cum melle, & ſaccaro candido: oleum etiam recenter expreſſum amygdalarum dulcium, & tepide dato, manè & ſerò unum cochlear. Quare ad uomitum me transfero.

De uomitu,
CAPVT XIII.

VOmitu autem infantes infeſtãtur, aut à multitudine lactis, quam digerere non poſſunt, aut propter aquoſitatem eius, aut corruptionẽ eius, ſtante maxima debilitate ſtomachi, aut propter uermes, aut aëris frigiditatem, aut frigiditatẽ & caliditatem nutricis, quare cura ſumma adhibenda eſt, in cognitione cauſarũ uomitus infantis, quã ex ipſius relatione habere minime poſſumus: ergo inquiras à matre, uel nutrice, utrum aſſumat magnam quantitatẽ lactis, & ſugẽdo ubera incurrat ſingultum, aut lac dicatur multum aquoſum, aut groſſum uiſcoſum. Quod cognoſcimus per ſigna ſuperius poſita, de diſpoſitione lactis nutricis. Corruptionem autẽ eius comprehendimus ex fœtore. uomitus acetoſitatem ex odore lactis emiſſi: frigiditatem autem cognoſcimus, aut nutricis, aut infantis, quia egeſtiones quæ emittũtur in pannis lineis, ſi ſint uirides, aut liuidæ, iudicamus hoc fieri à frigiditate aut nutricis, aut infantis. Si autem color egeſtionũ eſt citrinus, aut niger cum

Cauſarũ cognitio à relatiõe infantis minime haberi poteſt, ſed à matre poſtules.

tranſlucentia, iudicamus hæc à caliditate lactis, aut inflammatione infantis fieri. Quòd ſi uomitus ipſe fuerit propter multitudinē lactis, tunc eam prohibeas: quòd ſi ſentiatur odor acetoſus, humore albo commixto lacti, ſecundum Auice. qui dubie loquitur, tria grana ordei, & adminiſtra infanti, ſic curabitur. Secundum uerò modū communem practicorum, fit unctio ſtomacho infantium, ubi ſit debilis, cum oleo de ſpica, & cytoniorum, probatum eſt, non ſolum infantibus, ſed etiam pueris ſeptem annorum, & ultra. Contra uomitū uermium, fac quod ſequitur. ℞. Olei de abſynthio, de mētha, maſticini, & cytoniorum, añ. ℥. ij. ſpecierum abſynthij, menthæ, roſarum añ, ℈. ß. aloes grana duo, aceti parum ceræ quantum ſufficit, fiat unguentum molle, imò & infantes patientes proſtrationem adpetitus, facta unctione ante lactationem manè, & ſerò, ſugunt lac cum adpetitu: & ſi poßint infantes deglutire ex Auice. ſententia decimatertia tertij, de cura uomitus, & decima ſexta tertij, de cura cholericæ paßiōis, adminiſtra parum ſyrupi de mentha, cum uino granatorum. Et ſuccurrit mirabiliter infantibus, & adultis: hoc

tamen

tamen ſaluo, quod nullatenus uomitus eſt conſtringendus, niſi perducat ad debilitatem, ſeu laßitudinem, quia ſæpißime uomitus uomitum curat, teſtante Auicēna, xvj. tertij, de cura cholericæ paßionis. competunt etiam hæc remedia ſecundum Raſem, ubi cauſa ſit frigida. ℞. olibã ſeptimã partẽ drach. rutæ ſiccæ tertiam partem, pulueriſa & miſce cũ ſyrupo roſato, & da puero. Accipiat nutrix parũ cimini, parum ſumach, & ponat in os pueri, aut accipe, quod ſæpe expertum eſt ſecundum Raſis ſententiam. Recipe ligni aloes, maſticis, ana ʒ. ß. galangæ ſeptimã partẽ drach. & fiat puluis, qui cum ſyrupo roſato conficiatur, & da puero ante ſumptionẽ lactis, deinde ponas ſuper ſtomachũ hoc emplaſtrũ. ℞. maſticis, aloes, acaciæ, gallæ, olibã, panis uſti ana, & confice cum oleo roſato, & ſtomacho appone, & eſt expertum ad uomitum, & ſaliuam puerorum. Si autem in uomitu fuerit odor acutus, & res quæ euomuntur, appareant acutæ, & citrinæ, tunc adminiſtra infanti rob agreſtæ, aut ſuccum, uel minam cytoniorum, aut ſyrupum de berberis, aut ribes, aut roſatum, & ſi ſint adulti infantes, conueniunt iſti trociſci. ℞ roſarum, ſpodij, ana. ʒ. iiij.

Vomitus à principio ne cõſtringatur.

gallarum.ʒ.ij.ß.karabe,ſeminis portulacæ, ſeminis lapati acuti,ana ʒ.j.confice cũ aqua roſarũ, uel mali granati ad pondus drach.unius,exinde pulueriſetur unus trochiſcus,& cum ſaccaro roſato,aut miua cytoniorũ,aut de ribes, dato infanti, aut partem,aut totum: demum applicetur ſtomacho emplaſtrum uomitui, & fluxui uentris conferens.℞.farinæ ordei, rubi uiridis, mali granati corticis,ana quantum ſufficit,& miſce cum aqua roſarum, aut oleo roſato omphacino,& ſtomacho applica. ſecũdum autem ſententiam Iſaac,ubi ſit uomitus phlegmaticus,accipe calamentum,crocum, ariſtologiã longam,& cum ſucco menthæ miſce, adminiſtrato infanti,& eſt mirabile, & prohibenda eſt nutrix,à groſsis,& pituitoſis cibis,à coitu,& ſi prægnans eſſet,mutanda eſt omnino.

Appendix

Appendix.

VOmitus infantibus accidit, aut repletione non parua, aut à frigiditate lactis, aut ab intemperie uentriculi potius frigida, quàm calida, aliquãdo etiam à tußi, ſed hic tußi curata, curatur & is uomitus. oẽs igitur ſic curato, non neglectis cauſis, quas primò deſtruere oportet. Quare eas nouiſſe non nocebit, ne in morbis cæcutiamus. infantibus igitur uomitu laborãtibus dato ſuccum cothoneorum cum ſaccharo coctum, officinæ appellãt miuiam cythoniorum. Proderit etiã ſyrupus de mentha, de berberis (quem oxiacantam dicũt græci) cum puluere caryophyllorum: liniendus eſt etiam ſtomachus aqua roſacea cum muſcho, aut aqua myrti, aut apponere emplaſtrum ex micha panis, ſucco mẽthæ, puluere caryophyllorum, oleo maſtichino, & parum aceti, quæ omnia colligito, & ſtomacho apponito, adde pulueris coralli utriuſq;. ℥. ß. corallus etiam appenſus proderit, qui ſtomachum tangat. maiora ex autoribus requiras, ad fluxum curandũ me paro.

Ad omnes vomitus differentias.

Emplaſtrum noſtrũ hacte nus cũ ægroti reſtitutione obſeruatum.

Coralliũ appenſum foris ventriculum attingens.

De fluxu,
CAPVT XIIII.

FLuxu *autem uentris infeſtantur infantes, non ſolum tempore dentitionis, ſed poſt, & ante, uarijs de cauſis, aut propter corruptionem lactis, aut multitudinem, aut caliditatem, frigiditatem, aquoſitatem, aut ptopter multitudinẽ deglutitionis ſaliuæ, aut propter lac impregnantis nutricis, aut ab ſtomachi debilitate. quod ſi fiat à corruptione lactis, rectificandum eſt lac cum his quæ dicẽtur inferius, de lactis rectificatione: quod ſi ſit à multitudine, abſtinendus eſt infans à nimia lactatione. Quod ſi à caliditate lactis, quod comprehenditur ex citrinitate egeſtionum. Si ex frigiditate, & humiditate, aut nutricis, aut lactis, lac eſt rectificãdũ ut dicetur. Si propter debilitatẽ ſtomachi, conueniũt embrocationes, unctiones ſupra nominatæ, de cura uomitus à cauſa calida, aut frigida. Sed unum eſt prænotãdum, quod nunquã cohibeatur fluxus uẽtris, niſi adſit tumor producens debilitatem, cui fluxui, à leuioribus inchoando, ſecundum Auice. debemus embrocare uẽtrẽ, ex decocto*

ſeminis roſarum, cimino, & aniſo: & hoc quando fluxus ſit à frigiditate, aut ex cimino, & roſis in aceto infuſis, & decoctis. Quod ſi hæc non iuuẽt, accipe ſextam partẽ drach. coaguli hœdi, & cum aqua frigida dato infanti, de expertis cauſa ſem per frigida exiſtente, accipe. ℈. unum reubarbari torrefacti, & cum uino aromatico dato. Raſis etiã docet nos quartam partẽ drach. olibã adminiſtrare cum hoc emplaſtro quod uentri, & ſtomacho appli cetur. ℞. croci, myrrhæ, ceræ quod ſufficit, & cum uino miſce, pro uentre, quod ſi fluxus ſit à cauſa ca lida, ſumat infans, ſi poßit, ſyrupum roſatum, aut miuam cythoniorum cum ſyrupo menthæ, & fac quod prædominetur miua, aut ſyrupus roſatus. De rebus etiam expertis ſunt nuclei nucum torrefacti, & ante cœnã, & prandium ſumat: ſorba etiam, & cotonea aſſata aut piſtata & uentri appoſita, ſi de-glutire non poßit, conuenit etiam hoc emplaſtrũ, ℞. dattillos immaturos, infundantur per noctem in uino ſtiptico, poſtea accipe oleum de ſemine lini, aut myrtini, aut maſtichini, uariãtur enim olea ſecũ dum quod uis calefacere, aut infrigidare, & uentri applicetur emplaſtrum conueniens fluxui, à cauſa calida, ℞. ſucci arnagloſſæ, centinodiæ, ana. ℥. ß.

farinæ tritici. ℥. iij. aceti parũ, albuminis ouorũ duo rũ diſtẽpera, & calefac, & uentri appone. Quod ſi uolueris fortius reſtringere, ℞. roſarũ, thuris, maſti cis, boliarmeni, ſanguinis draconis, abſynthij, coſti amari, balauſtiæ, pſidiæ, coquãtur in aqua, & in il la decoctione ſedeat puer: fomẽta etiã pedes, aut ti bias: & ſi uolueris fortius reſtringere, ℞. duas par tes conſolidæ maioris, & alias duas plãtaginis, & lanceolæ & cũ ſuccis earũ diſſolue argillã, & manibus tractãdo in modũ emplaſtri, ſuperpone umbilico. res aũt familiares quæ in communi uſu ſunt, clyſteria ex decocto ordei torrefacti cũ melle roſa to, non exiſtẽte raſura inteſtinorũ, quæ ſi adſit accipe ſepi hircini, aut caſtrati, & trochiſcos de kara be, aut terra ſigillata, aut ſtellæ aut pulueris roſarũ, aut utere puluere tapſi barbati uſti: uẽtri aũt ap pone emplaſtrum diaphiniconis deſcriptione Meſue, aut ex inuẽtione Andromachi, aut ſua: unguẽtũ etiã de corticibus, aut emplaſtrum de roſis autore Meſue, aut de gallia eiuſdẽ deſcriptione. Si autẽ alia experta, quæ conſtringãt uẽtrẽ, cupis ſcire, leges ſecreta Galeni, & reperies emplaſtrum conferens ſanguinis ſputo, uomitui, & fluxui uentris. Idem habes à Raſi in ſecretis proprijs.

Appendix.

FLuxus & ſi uarius ſit, à uarijs etiam cauſis procedit. Quare non erit unica curandi ratio, etiã ſi in infantibus minime apponi poſſunt, quæ & diligẽter, & perfecte reſtituunt priſtinæ ſanitati, curaui ego trimeſtrem infantem menſe ſeptembri à dyſenteria, clyſteribus partim illuentibus, & partim aſtringentibus, ſtomacho non neglecto fomentis, quare ad alui profluuia foueto ſtomachum, reiectis balneis, foueto uino auſtero, & oleo cythoneorum. Quod ſi non ſiſtatur, ſume œnanthes contritiſsimæ, quæ uitis ſylueſtris flos eſt, & dicitur labruſca, acaciæ, maſticis partes æquales, quibus unà ſubactis, partem uitelli ouorum, quæ ſufficiat adijcito. Deinde ſtomacho, & ſcapulis illinito, thorulumq; purpureæ lanæ adligato. Præ cunctis tamen, nutrix in uictus ratione regenda eſt, cibiq; boni ſucci exhibendi, & potus aſtringens. Quod ſi infans quidpiam farinæ ſimile excreuerit, mentham tritam ex uino nigro apponito, & adligato, fiant enemata ex decocto ordei, roſarum rubentiũ, berberis, ſumach, & folijs plantaginis, cui infundito uitellum oui, ſaccharum candidum, oleũ roſaceum, aut myrtinũ, aut lentiſcinũ, & inijcito per clyſterem, & procurabitur alui detentio. Et hæc de fluxu ſufficiant. Accedamus ad alui detentionem, & aſtrictionem.

Trimeſtris infans dyſenteria laborãs clyſteribus à me curatus.

Quid ſit œnãthe.

In omni infantium morbo, nutrix regimẽ victus habeat proprium.

Forma, clyſteris.

De ſtipticitate,

CAPVT XV.

Moleſtantur quandoq; infantes prohibitione, & ſtipticitate fecũ, aut à uiſcoſitate lactis, aut quia ſumũt cibaria multũ ſtiptica, ſicut eſt caſeus, aut cotonea, aut caſtaneæ, aut nuces aſſatæ, aut ſorba, & meſpila, & alia ſimilia. Quod ſi infans ſit lactens, & patiatur aſtrictionem uentris, à lactis uiſcoſitate, quod cognoſcitur in nutrice, aut matre ſignis ſupra dictis, & ſecundũ ſentẽtiã Auicẽnæ, tertia primi, capite de ægritudinibus infantiũ, tribuẽdũ eſt in potu ſtercus muris, aut ſuppoſitorium ex melle cocto, aut cum mentaſtro, aut radicibus ireos, quæ ſint uirides, aut combuſtæ, & debemus adminiſtrare infanti parum mellis, aut terebinthinæ ſecundum quantitatem unius ciceris, & uenter eius fricandus cum oleo communi, aut ſuper femur eius ponatur fel uaccinũ. Tamen ſecũdum modum communẽ, expertum eſt primis menſibus, facere ſuppoſitoria ex ſtercore muris, cum melle & ſale contrito, aut ex axungia porcina, & ſtercore

De ſtercore muris.

muris

muris, aut cum ſale communi, aut ex lardone ſalito oleo inuncto, quo uulgares utuntur: aut utere clyſtere molli facto ex brodio pulli, aut capitis caſtrati, cum ſaccharo, & parũ ſalis, ſine oleo, ne infans patiatur, ſi uermes haberet, qui petunt, propter oleum, partes ſupernas. Competit etiã clyſtere, factum ex lacte caprarum, aut aſinarum, aut camelarum, quod melius eſt, ſed quia parentes maximè infeſtantur, & nolunt obedire medicis, in mißione ſuppoſitorij, aut clyſteris, tunc accipias medietatẽ corticis nucis magnæ, & comeſtibilis, & imple ipſam butyro recenti, cum felle thaurino, & ſuper umbilicum appone, & uentrem infantis totum butyro inunge, aut pedes eius, leui tamen unctione.

Oleum non miſcẽdũ clyſteribus.

Lac camelę.

Iuglãs regia.

℞. *Elebori albi & nigri, hermodatilorum, accori, ſucci ſemperuinæ, bryoniæ, añ. partes æquales, cum axungia porcina ueteri, confice, & utere. Et quamuis competat unguentum arthanitæ, eſt periculoſum tamen, quare dimittas potius. Competũt etiam ſuppoſitoria ex capitibus porrorum cũ ſale. Sed ſolẽne unũ non dimittamus, ſcilicet accipe penidias, & forma ſuppoſitoriũ, & poſt in aquam ſalitã infunde, & ſuppone infanti: quòd ſi infans nul*

latenus poſſet, aut inferne, aut ſuperne accipere, tunc adhibēda eſt medicina nutrici, aut matri, deinde poſt ſpatium quinq; horarū lactandus eſt infans: quòd ſi aliquid poßit deglutire, ſcilicet duorū, aut ſeptē annorū, adminiſtrētur medicinæ lenitiuæ ſolēnes, ſicuti eſt iera ſimplex, aut pigra, hoc eſt cōpoſita, uſq; ad. ℨ. unā cū lacte mulieris, aut uino aromatico. Set quia ieræ ſūt abominabiles, propter amaritudinē, detur caßia extracta, aut mãna in uino aromatico, aut parū infuſionis reubarbari, aut electuariū Indū, aut pſilij, aut diaturbit, cū reubarbaro, ſecundum neceßitatem & diuerſitatem materierum peccantiū, aut pilulæ de aloe lota, aut de iera ſimplici, hoc totum ſit in iudicio operantis: quia non poſſumus niſi ſecundum diſtinctionē complexionum operari. Set unum expertum in forma potabili non prætermittamus. ℞. cinamomi, gingiberis, aā. partē. j. ſpicæ, aniſi aā. partē ß. epithimi partes octo, reubarbari, ſenæ aā. partes quatuor, ſaccari optimi partem mediam, omnia adminiſtrentur cū lacte mulieris, aut uino aromatico, aut aliquo brodio pingui, uſque ad. ℨ. ß. conuenit etiā hæc confectio. ℞. folliculorū ſenæ uiridiū

mundatorum aň.℥.j. cinamomi.ʒ.iij.croci.ʒ.j. ſac chari ad pondus omnium, doſis eſt.ʒ.ß.cũ brodio. Si uerò ſint adulti.ʒ.j. Et hoc ante cibum.

Appendix.

Qvod ſi contrà, aluus detenta fuerit, neq; facile egerat, glande irritetur, aut clyſtere ex melle loto, aut mellicrato, cibiſq; mel complicetur. Sed & florem arthemiſiæ cum oleo tritum, circa umbilicum apponito, & ſubducetur aluus: etiam accipe ſuccum ebuli, aut mercurialis, aut farinam (quam uolatilem dicunt.) Et ex his pulmentum coque, coctum, modo emplaſtri umbilico, & infrà, quod ſtomachum non contingat impone: profuerit nutrici medicamentum probatum, & quod datum cieat, dare: neque eo die infantem lactabis, ſed poſtridie potionis, ipſum uberibus admoueas. Neq; placet, quod detur in potu ſtercus muris, quod uoluit Auicenna, quem autor noſter per omnia eſt ſequutus: ſed imputandũ eſt tempori quo ſepultæ erant literæ meliores: neq; tunc Galenus melius loquebatur Latine per interpretes, quàm Auicenna. modo igitur glandis cum ſepo hircino ſedi & podici infantis imponito, & fluet aluus pro uotis tuis. Quare ad tenaſmum ſe conuertat oratio noſtra.

Stercus muris non dandum puero, contra Auicennam.

Excuſatur à tempore autor, alioq expertiſſimus.

Galenus per interp̃tes latine non eſt loquutus.

De tenaſmone & continua uoluntate egerendi,

CAPVT XVI.

ACcidit infantibus ægritudo multum infeſtans, propter quam timent parentes, cum uideāt infantē continue ſtimulatum, ut aliquid per ſeceſſum emittat, & nihil emittat, quæ uulgari uocabulo appellatur malum de ponti, à medicis dicitur tenaſmon. Et quoddā eſt uerū, & quoddā nō. Non uerū fit à materia fecali, inuiſcata adhærente inteſtino recto, in parte interiori, prope phiterim, uel anum: uerum autem cauſatur propter humorem ſalſum, aut cholericum deſcendentem ad ipſum anum, aut frigiditate aëris, aut quia infantes ſedēt ſuper rem duram, ſicut ſuper lapidem uiuū. Talis igitur ægritudinis cura, ſi tenaſmon cauſatur propter inuiſcationem fecum educant feces cū clyſteribus mollitiuis. Et iſta eſt cura tenaſmonis non ueri, ſcilicet, quia in tenaſmone, tres habendæ ſunt intentiones. Prima ad mordicationem ad quam ſequitur uehemens uoluntas egerendi ſine aliqua emiſſione. Secunda intētio eſt reſtrictio ſanguinis egredientis, &

tis & ulcerationis ablutio. Tertia *eſt inteſtini, cũ egreditur, intus repoſitio.* Dixit Aliabas *circa primam intentionẽ, quòd ſi detur olibanum cũ ameo, remouet uoluntatem egerendi.* Serapio *autem uult quod cortex arboris pini minoris emplaſtratus, remouet tenaſmonem factum à materia acuta ad inteſtinum rectũ fluente, aut etiam ab ulcere, prius tamen mundato inteſtino: & experti ſumus corticem maioris pini emplaſtratum, & pulueriſatum, cum liciuio aſperſum, aut cum albumine oui, aut oleo myrthino intromiſſum idem facere.* Serapio *dixit pſilium lædere aſperitatẽ ulcerum inteſtinorum, & abſcindit tenaſmonem.* Dixit *etiam, quod ſine decoctione orobi, uel cum decoctione aceti, pectini, & ano applicatum confert: plus tamẽ confert cũ decoctione pineæ infructiferæ.* Experien*tia autem ſcio quod ſola ſuffumigatio facta ex pineis, à quibus extracti ſunt nuclei, miro modo tenaſmonem ſedat.* Iſaac *dixit clyſtere factũ ex decoctione ſeminis lini, cum oleo roſato, ad tenaſmonem & mordicationem inteſtinorum ualere: ſimiliter etiam decoctio ſeminis lini.* Tertia *intentio erit magis ad reſtrictionem ſanguinis.* Et *ſi multa*

ſint ab autoribus dicta, hic tamen magis experta aliqua adducam, uinum in quo eſt decocta radix mali granati, bibitum multum iuuat: confert etiam puluis pollicariæ ſubtilis, appoſitus, ſtante tenaſmone à cauſa frigida. Item ſuffitus factus ex granis myrti. Serapio dixit gummi Arabicum retinere uentrem nimiũ fluentem, & conglutinat inteſtinũ. Circa tertiam intentionem, quæ eſt intromiſſio inteſtini egreſſi, capilli aduſti ſuperpoſiti inteſtino, reducunt ipſum intro, expertum autem in cura tenaſmonis deſperati febre exiſtente, accipe pilulas Galeni ex ſuis ſecretis. ℞. opij, aniſi amborum añ. aur. unum, & ℈. ſeminis inſquiami albi. ℈. iij. ſeminis apij. ʒ. viij. terantur, & conficiantur cum uino, & fiant inde pilulæ, inſtar piperis, administra ad ſummum duas. ad idem, Expertũ licium. ℞. Myrrhæ, thuris, croci, opij añ. partem unam, terantur cribellentur, & conficiantur cum uitellis ouorum, & fiant paruæ glandes cum filo ligatæ, & intromittantur per anũ, donec dormiat, & tũc extrahantur. In cura uerò magis domeſtica, ſunt clyſteria lauatiua, ex decoctione ordei torrefacti, & radicum plantaginis: exempli gratia. ℞. radicum

dicum plantaginis M. unum, ordei torrefacti cum cortice ſuo. M. duos, coquantur perfecte in quatuor libris aquæ, & coletur: adde colaturæ mellis roſati colati. ℥. j. fiat clyſter: confert etiã ſi fiat ex ſucco, aut decoctione plãtaginis, aut arnagloſſæ, in quo ſucco diſſoluantur trochiſci, carabe, aut terra ſigillata. Ad idem confert fomentum ſequẽs, coquantur caules in aqua, & manibus exprimantur leuiter, & parum in oleo roſarũ frigantur: deinde infans ſedeat ſuper caules: ualent ſuffumigia facta ex colophonia, pineis, uel corticibus earum. Vltimo fiat hoc balneum. ℞. radicũ cardui, quo præparantur panni. M. quatuor corticum granatorũ, balauſtiæ, corticum radicum auri, tapſi barbati añ. M. unum, coquantur in aqua ſi ſit febris, quæ ſi non fuerit, in uino nigro ſtiptico, quantum ſufficit ad balneum, in quo patiens ſedeat uſque ad umbilicum. Experientia inuentum eſt, quod bibere ſuccum lapæ communis, id eſt, rumicis ſylueſtris, ieiuno ſtomacho, uel infritellis, uel aliter, anum egreſſum reducit: & ego experientia ſcio, quod in quodam infante filio poteſtatis plebis ſacci, qui patiebatur egreſſum ani per duos ferè digitos, &

Et dicitũ virga paſtoris à Dioſcoride labrum Veneris.

ſola decoctione roſarum, lentium excorticatarum cum uino nigro, & poſtea fiebat olei roſarũ inunctio, & ſuffitus ex thure, & corticibus pinearum, & roſarum, & ſanatus fuit unà cum tumore inteſtini maximo & eiuſdem apoſtemate: mirumimmodum conferunt ſuppoſitoria facta ex ſepo hircino, cum oleo roſato, & parum opij ad granum unum, aut duo.

Appendix.

TEnaſmus ſiue Latine premitus, Et dicitur Græce τεινεσμὸς per diphthongũ potius, quàm per ε, in prima ſyllaba, propter etymologiam: nempe ἀπὸ τείνεσθαι, quod eſt conari. Et eſt tenaſmus crebra, & inanis egerendi libido, ſeu uoluntas: cui morbo adiungemus procedentem ſedem, quæ à tenaſmo uehemẽter procedit. Sed prius tenaſmum curemus, & illi medeamur, deinde ad ſedis procidentiam, breuitati ſtudẽtes, quod autor hic ſatis fuerit prolixus. Quare cum à frigiditate plerũq; fiat, apponemus quæ erunt calida, & diſsipantia materiam illam mucoſam, & ſanguinolentam, quæ egeritur etiam cum ſedis tumore, & inflammatione. Accipe naſturtij ortẽſis, & cymini ſeminis, ſingulorum pondus æquale: idq; tritum, & temperatum butyro ueteri, cum aqua frigida bibendũ præbe: aliud excipiat infans ſede fumum terebinthinæ, qui

inde oritur, carbonibus impoſita. Item accipe picem colophoniam, eaq́; carbonibus impoſita, ſuffitu anum infantis conſoue: accipito etiã pannum lineũ uehementer calidũ, ſic tamen ut citra offenſam ferat, & podici ſic apponito, quo remiſſo apponatur alter. Maiora te docebunt doctores practici, quare ad ſedis procidentiã uenio, cui Aetius ſic ſuccurrit, herba, quæ ſpongitis dicitur, aßidue ſedẽ aſpergito, quid autẽ ſit ſpongitis ſcire non potui, niſi fuerit aſparagi ſatiui, & orטenſis radix, quæ aſtringens eſt, & dolori dentiũ ſuccurrit. Accipiturq́; teſte Plinio, & Columella pro ſpõgia, quare illuc curre, & uidebis quid ſentiant: neq; dubito quin marina ſpongia poſſet ſuccurrere, quæ ad oculorum lachrymas faciat lota, profluuiáque ſanguinis ex aceto competit. Item acatiam ex uino nigro, & ſapa illinito. Item cocleam uſtam, & tritam ano exeũti, prius loto applica, & ſanabis. oſtreorum etiam teſtas crudas tritas, & ſubtilißimo cribro excuſſas appone, myrthi baccas uirides, cum uino tritas applicato. aqua uerò fabrorum, in qua ferrum extinguũt, lotiones fiant, uſus quoq; muriæ tepidæ mirifice prodeſt, idq́; facit aqua maris, & ſequuntur uermes, qui non parum infantes cruciant, mortem præmaturã anunciant, ſtrangulant, & corpus aridum, & conſumptum reddunt.

Non poſſumus huc oĩa trãsferre quare ab alijs ſunt petẽda.

Quid ſpongitis herba.

De uermibus ſiue infantiũ lũbricis,

CAPVT XVII.

Vermiũ generatio non à bile, neq; à melancholia.

*M*Axime inquietantur infantes uermibus, ſiue ſint lumbrici, ſiue cucurbitini, aut rotũdi, qui omnes generantur ex materia phlegmatica, diuerſi tamen ſecundum diuerſitatem ipſorum, & in diſtinctis locis inteſtinorum. Non generãtur autem ex cholera, quia tali putredini maxime aduerſatur. Nec ex melancholia, cum contrarietur uitæ; neq; ex ſanguine, propter maximam dilectionem quam habet uirtus erga ipſum, quod comprehendimus ex eo, quia uermes cuiuſcunq; ſint ſpeciei, nec ſunt citrini coloris, neq; nigri coloris, neq; rubei, ſed ſolũ ex phlegmate putrefacto in inteſtinis, & cauſa generationis eorum dicitur eſſe ſuperflua comeſtio, unà cum debilitate digeſtionis, & ſunt fructus omnes, & legumina, maxime phaſeoli, & fabæ ex comeſtione lactis ſuper repletione, & breuiter, regimen uictus in ſex rebus non naturalibus, multiplicans corruptionẽ humorũ in ſtomacho per uiam indigeſtionis: in infantibus autẽ lactentibus, generan

generãtur propter corruptionẽ lactis nutricis, aut cibi aſſumptionẽ, ſicuti hodiernis tẽporibus, mulieres cibũ maſticãt, & fercula, & cibũ ſic maſticatũ ipſis adminiſtrãt, à qua maxime eſt cauẽdũ ubi mulieres fuerint mẽſtruoſæ, aut exercitatæ, aut fuerint ex ira ſupcalefactæ aut ſtatim à cibo, aut à coitu, & tũc ſaliua ipſarũ uenenũ eſt infantibus, propter has cauſas. Quod ſi uoluerũt illo cibo mãſo infantes nutrire, priuẽtur omni uicio quod cibũ, aut ſaliuã poſſit corrũpere. Ergo infantes curẽtur, & à uermibus liberẽtur ſecundum diuerſitatẽ autorũ. Nonnulli inchoãt ab extrinſecus applicatis: alij aũt magis ab his quæ adminiſtrantur per uiã oris. Sed pro nũc, inſequẽdo ſentẽtiã Raſis, circa uernũ inchoetur ab his quæ extrinſecus applicantur. Duo maxime experta dicuntur eſſe, ſuccus alij, & aliũ, ſecũdũ ſentẽtiã Auicẽnæ eſt ultimũ in interficiẽdo uermes, ubi inquit, cartamũ, mẽtha, camepiteos, cẽtaurea, pulegiũ, & aliũ proprie, aliud aũt maxime expertũ eſt. ℞. porrorũ non trãſplãtatorũ. M. ij. infundãtur ſubtiliter, & ponãtur ſuper tegula cale facta, & aſpergãtur aceto albo, deinde ℞. diptami, gẽtianæ, ſeminis ſancti ana. ℈. ij. imponãtur por

Mulieres malè aliquãdo vtuntur cibo manſo pro nutricatiõe puerorum.

Duo experta ad vermes expellendos.

ri cũ dictis ſpeciebus, in duobus ſacellis. Et unus po natur ſuper os ſtomachi, & alter ſuper decimũtertiũ ſpõdiliũ ex oppoſito ſtomachi: per inferius autẽ competũt clyſteria facta magis ex brodio pulli cũ ſaccaro, aut caßia fiſtula, non apponẽdo oleũ, ſed magis loco olei, apponẽdo butyrũ, & parũ ſalis, & ex lacte caprarũ, cũ hoc quod nũc hic ſequitur eſſe non debet, ſed quod ſequi debet poſt hãc dictionẽ, cũ, continuatur per principiũ alterius cartæ, quæ incipit ſaccaro, camelarũ aut uaccarũ &c. ut uidebis. Accipe parũ galbani, mitte in uitellũ oui, & ſi in hoc multa laudata ſint ab autoribus, ſicut quæ dicta ſunt, & quãuis competãt clyſteria aliquãdo trahẽtia, ſecũdũ ſentẽtiã autorũ, non cõpetũt niſi apparẽtibus ſignis magnæ corruptionis, & corporibus exiſtẽtibus adultis, laudantur ſuppoſitoria facta, cũ melle, ſale, & penidijs, aut ex axũgia porcina, aut ex lardone, & eſt mirabile. Quod ſi uermes continuantur in inteſtino recto, fiãt ſuppoſitoria dicta immediate, propter unctuoſitatẽ adipis, & pinguedinis, adhærent ſuppoſitorio, & egrediũtur per anum cum ſuppoſitorio: & breuiter omnia amara uermes interimunt.

Nota quantum attinet ad orificium ſtomachi & quæſtionem ſeu potius litem inter aliquot medicos lugdunẽſes motam.

Appen

Appendix.

VEnter hominis multa animalia nutrit, quare de lumbricis hoc in ſumma notandum, quod ipſi in febribus, & citra febres naſcuntur, tũ multitudine, tũ magnitudine, tum colore, tũ temporibus etiã differentes. Quorũ ad ſummam, tres ſunt ſpecies, ſeu genera, quæ in doctrinis pro ſpeciebus ſumuntur, & ſunt rotundi tereti, longitudine palmares, aliquando maiores aſcarides, & tenues, & occupãt rectum inteſtinũ, & huius ſpeciei, ac generis plures uidi, quibus quidã nobilis cholericus delphinas æſtate abũdabat, ultimi lati, & longiſsimi, qui ſæpe per tota inteſtina extenduntur, ut eorũ longitudinẽ æquent. Et dicũtur à quibuſdã tineæ, & faſciæ, & circa initia morborũ generati, ſubſtantiã ſuã ex ſubiacẽte corruptione capiunt: circa uigorẽ uerò, ex malicia morbi, circa declinationem autẽ, ex permutatione omniũ in melius, qui ſane citius ſeparãtur: natura enim ipſos foras propellit, cẽſentur peiores, ex ipſis maiores minoribus, multi paucis, & albis rubri, uiuentes etiã mortuis deteriores: in infantibus autem, & pueris, atq; his qui ad pubertatẽ accedunt maxime abundant. Cæterum quæ hoc malo affectos comitentur, & ſequantur, uide Aetiũ, ſermone nono, capite XXXIX. *neq; propterea curam, & medelam negabimus, quæ talis eſt, cum quadam præcautione, ne ſcilicet ſtomacho aliquid, quod amarum ſit, apponatur, ubi medicus intelliget prouidẽtia quadam uermes ſupra ſtomachum eſſe, & gulam occupa-*

Quotvermiũ differentiæ.

Genera aliqñ pro ſpeciebus.

Hiſtoria.

Præſagia à vermibus ſumenda.

re, ne inde ſequatur ſtrangulatio, ſed paulatim, aut nutrimento dulci, aut clyſteribus conuenientibus, ad inteſtina, & inferiorem uentrem reuocandi, & euocandi ſunt: clyſteres fiant ex lacte caprino, & ſaccaro, abſq; oleo, cum aqua ordeacea. profuerit etiã exhibere aquã portulacæ, & graminis, quæ proſerpinata dicitur, in quibus infuſum fuerit ſemẽ citri cõtuſum, & per colum mittatur, ubi per aliquot horas in aquis reſiderit, donec amaritudinem referat, conueniet etiam ſinapi conditum ſaccaro, aut ſapa quod eſt muſtum. Quod ſi per ætatem guſtare, uel deuorare non poſsit, nutrix in cibarijs pro condimento utatur amaris, & ijs ueſcatur, & ſi placeat foris, ſcilicet ſtomacho apponere, fac linimentum ex oleo amygdalarum amararũ, felle taurino, oleo de ſpica, quod nardinũ dicitur, abſynthiaco, & cera, & tepide impone, cũ oleo etiã & aceto fiat emplaſtrũ: cẽtinodia plurimũ poteſt in ea re, ſiue in pulucrẽ reducatur, ſiue diſtilletur in aquam: oleũ percicorũ nucleorũ, neq; fit inutile oleũ ruthæ contra maiores tineas, accipe ſucci abſynthij, & fellis bubulli ana. ℥. ij. colocynthidos. ʒ. viij. iiſq; tritis & ſubactis, modico farinæ tritici addito, emplaſtrũ cõfice idq; umbilico infantis impone, balneũ quoq; ex abſynthio & galla quãtũ ſatis erit ꝓ modo parabis, cõtra lũbricos, infantẽq; inſidentẽ, uſq; ad umbilicũ calida lana, hæc tibi faciãt ſatis. Quod ſi maiora optas uide Manardũ in quadã epiſtola de uermibus. Sed interim uentrẽ tumeſcentẽ infantis tractemus. Qui nõ mediocre periculũ affert, unà cum umbilici duritie, & tumore.

Nõ eſt opus oleo in ablutionibus quibus vtimur ad necandos aut educendos vermes.

Lege manardum qui in quadã epiſtola maiora docet de vermibus.

De tum

De tumore uentris infantium, CAPVT XVIII.

Ventris tumor, & inflatio infantibus accidit, & tangendo, aut percutiēdo, apparet quaſi ſonitus tympani, qui tumor ſecundū ſententiā autorū appellatur, ſecūdū aliquos uentus inflatilis, ſecundum autem alios appellatur uentus inflantis. Sed tantum eſt dicere, quantum tumor uentris ex uentoſitate, quæ diſpoſitio, aut contracta eſt à principijs natiuitatis, aut ex defectu obſtetricis balneantis, aut defectu nutricis, aut quia non præſeruatur ab aëre frigido. Si à principijs natiuitatis contractus eſt tumor, ſeu diſpoſitio nullatenus corrigi poteſt: ſi autem ex defectu nutricis balneantis, fiant nunc dicenda. Si uerò à nutrice, competit regimen, quod dicemus, ſeu quod dictū eſt ſuperius, de regimine nutricis. Si uerò à frigiditate aëris, competūt ea quæ nunc dicentur. Si igitur infans ſit tenera ætate, ſex ſcilicet menſium, ad duos annos uſq;, & patiatur ex defectu obſtetricis, aut aëre frigido conuenit unctio facta hypocondrijs, ex oleo anethino, & ſtomacho, & umbilico. Competit etiam hoc medicamen, quāuis non debeat apponi, niſi neceſsitate urgēte, autore Auicēna tertia

primi, de regimine infantium, & eſt. ℞. origani, caſtorei, cymini, ana, partes æquales, triturentur forti trituratione, & miſceãtur, & infanti in potu tribuantur, pondere trium granorum ordei, cũ lacte, aut cum uino aromatico. Aliud ſecundũ ſententiam Raſis eſt. ℞. myrrham, aloem, & crocum, & conſice cum ſucco ſaturegiæ, & uentri apponito. ex rebus autem expertis his temporibus, accipe emplaſtrum diaphinicum, deſcriptione Meſue, & emplaſtrum de meliloto, deſcriptione eiuſdem, & uentri apponito, & hoc uidi mirabile in quodam puero Hebræo trium annorũ, qui patiebatur hunc morbum, & eſt curatus. Vidi etiam in quodam puero ruſtico, pauperculo duorum annorum, qui cum non poſſet emere medicinas, præcepit ſibi genitor, ut ſtercus uaccæ acciperet, cum ab ea emitteretur, & corpus inungeret, & mirabiliter diuino auxilio curatus eſt.

Appendix.

Appendix.

INflatur, & tumeſcit uenter infantium à lotio retẽto, propter flatus, aut craßitiem lactis. Quare apertionem meatuum urinariorum procura, aperientibus, balneis, & linimentis pectini impoſitis: fiunt autem linimenta ex axungia cuniculi, parietariæ ſucco, & oleo de lilio. Vltimum erit oleum ſcorpionum, frictiones molles, & matutinæ proſunt: nutriatur nutrix uino odorifero, parum diluto, diureticis, & aperientibus, quibus urinarij canales aperiuntur: ſumat etiam puer ſuccum parietariæ depuratum, & tepidum. Porrò illi balneum conſtitue, ex his quæ ſequuntur, ſcilicet ex folijs lauri, radice ebuli, tribuli marini, hireos, parietariæ, & rore marino, quem fruticem, libanotida appellat Plinius libro XIX. ex cochleis, & abſinthio: neq; hoc ante quatuor dies negligas, quãtum ſpectat ad tumores umbilici, qui trifariam tumeſcit, aut propter eiulatum, aut percußionẽ, aut compreſſionẽ, cyminũ cõtritum umbilico illinito. Item octoniæ herbæ ramenta, quæ ſecũdum aliquos celidonium maius eſt. Et ſecundum aliquos ypericon apponito, tribusq; diebus alligato: deinde ex oleis. Idem repetito Critonis philoſophi ad umbilicos remedium.

A quibus frequenter intumeſcat vẽter infantibus.

Linimẽtum conueniens, & familiare.

℞. Reſinæ pini ℥.xvj. ſcißilis. ℥.x. mellis. ℥.xx. alumen tritum ſuper carbonibus cum melle uſq; ad probam conſiſtentiam decoquito, dein reſinam ſolutam inijce, aßidueq; agitato, quod ubi confeceris, ex medicamento (quod platyſma uocant) quantũ ſat eſt ex-

tendito ſuper lato pãno, & applicato ſingulis diebus permutando, ac ſuper platyſmate, plantaginis folia, uel hederæ apponito Horum omnium Aetius autor, illuc recurrito, quò melius intelligas. Neq; uolo commentarium commentario addere, quare ad ſtranguriam accedo.

Neque commẽtarius cõmentario augeẽt: quod eſt nõ omnibus ſcriptoribus familiare.

De difficultate urinæ infantium, CAPVT XIX.

MAximéq; infeſtantur infantes, cum urinam admittere non poſſunt, torquenturq;, & clamitant, triſtãtur parẽtes, & excitãtur medici, ignorantes cauſas mœroris infantis. Cui diſpoſitioni maxime ſubueniendum eſt, quia non niſi à frigiditate, aut lactis diſpoſitate, aut à lapide cauſatur. Si à frigiditate ſolo oleo anethino, aut camamelino ſuccurritur, aut liliorum alborum, aut ſcorpionum oleo, quod ex ſcorpione non niſi alijs remedijs non conferentibus, applicari debet. Competunt etiã embrocationes factæ ex decocto parietariæ, florũ camomillæ, melliloti, & anethi, ſumitaria, ſumini infantis, aut balneum ex rerum iam dictarũ decocto. de rebus autem plurimũ conferentibus eſt.

℞. Maxilas luciorum ſalitorum, fiat ex eis puluis ſubtiliſsimus, & cum uino aromatico miniſtra. Ad idem ualet, radix philipendulæ in uino decocta, & parum illius uini adminiſtra: confert etiã cucurbita antiqua, in qua retentum fuit oleum, & calefiat in aqua calida, dummodo in ipſa non ingrediatur aqua, & cum ipſa ſit calefacta per os uirga infantis imponatur: prouocat enim urinam, & dolorem pectinis tollit. Experientia autem ſcitũ eſt, accipere lapatum acutum, & immitte in ignem, etſi fuerit puella parua, ut ardeat ante eam: etſi fuerit mulier adulta, uelit, uel nolit, ſtatim minget. Si autem cauſatur difficultas urinæ uitio lapidis, diſtinguendum eſt, utrum ſit in renibus lapis, uel in ueſica, & modus eſt, accipere morſum gallinæ, quæ herba eſt, & coquatur in uirga & pectine illa emplaſtretur, & ſi dolor auctus fuerit, deſignat lapidem ueſicæ: ſin autem renum. De autem rebus conuenientibus, eſt adminiſtratio pulueris pæoniæ, & maximè infantibus. Serapio, inquit, quòd cyminum carmenum dolorem, & lapidem ueſicæ tollit. Dioſcorides aſſerit, quòd ſi bolus unus cardamomi ſumatur, cum aqua decoctionis corticum, uel radicum lauri fran

git lapidem , & comminuit in ueſica . Alchatabrius *inquit , quod aqua decoctionis* pollitrici *frangit lapidem in ueſica: experimenta autem ſunt plurima , tam in lapide ueſicæ quàm renum : ſed paucula adducemus.* Primum *experimentũ eſt, tollatur ſanguis unius leporis toties, & cũ ℥.* vij. *radicum ſaxifragæ, uratur in olla rudi, & fictili, & de cinere hoc detur cochlear, uinum cum uno ſcyato aquæ calidæ: emplaſtrum, quod ponitur ſuper pectine, frangit lapidem in ueſica, & ſuper renes poſitum, frangit ipſum in renibus.* ℞. *amygdalas amaras, & dulces, añ. partes æquales, terantur: & cum reſina pini, & terebinthina, & oleo ſcorpionum, ſecundum artem facto, fiat emplaſtrum, & ſi cares oleo ſcorpionum, ponatur oleum amygdalarum amararum, aut nardinũ: electuarium ad idem.* C. *Liptum tripon & iuſtini nycolai añ. ℥. j. ß. lapidis iudaici. ʒ. j. ß. incorporentur, & cũ uino ſubtili calido detur ex hoc, quãtum eſt caſtanea una, relictis emplaſtris ſuis locis.* Ad *idem ualet oleum ſcorpionum, factum ſecundum artem ſolum adminiſtratum.* Experimentũ Raſis. ℞. *nuces uirides, numero ſex, & piſta cum corticibus exterioribus ipſarum, deinde,* ℞. ℈. j. *porrorũ non lotorũ, ex*

utroq;

utroq; extrahe ſuccum colatum, qui in uaſe uitreo quieſcat ad depurationem, & da puero, omni mane ſeptem diebus, & tempore ſomni, unge uirgam, & teſtes oleo antiquo, aut de been. Conferunt etiam ſecundum ſententiam Auicennæ, & Serapionis, ſimplicia multa ſigillatim, & mixta alijs, ſicut capilli Veneris, ſpongia maris, amygdalæ, cubebæ, ſenecion, lapis ueſicæ, lapis ſerpētis. Et compoſita conferunt ut dialacca maior, & minor, diaſulphur ſecundum Meſue, oleum de ceraſis, oleum de granis cipri, oleum ſcorpionum. Secundum Nicolaum, confert aurea Alexandrina, antidotū emagogum, electuarium dulce, philantropos, litumtripon, metridatum, theriaca magna, oppopira magna, & huiuſmodi.

Omnia hæc antidota ſunt.

Appendix.

ET *ne uidear cupreſſum ſimulare, idē ſemper repetens, lege quod præcedenti commētario dictū eſt, de pectinis linimento; quod huc transferas, præter illa quæ nunc dicemus, Commune præceptū accipientes, ne quæ ignitas conſtitutiones in ſe habent, caliditatemq; non minimam obtinent, his utamur: quia non opportune incidunt. Nimiaq; caliditas exſiccādo porum accumulat, non ergo incindit, neq; digerit. Qua-*

propter quæ minus calida incidendi unà facultatẽ habent ſunt meliora: mouent urinas non potenter, & citra exulcerationem. Acetum ſcylliticum cum ſaccaro, decoctum radicis graminis damaſonij, id eſt, arnagloßi maioris, quod in aquis naſcitur, capilli Veneris, polytrici, & ſimilium. Neq; erũt inefficaces regalium aſparagorum radices, ſemen altheæ bdellium ex Arabia, lachryma pruni, miliũ ſolis, Græci lithoſpermon uocant, id eſt, ſemen lapidoſum, bethonica, ſarxiphragia, pulegium, capparis, Aegyptiæ radix, manſuetarũ ficuum ſemina, aqua morobaccorum cum lacte noctu potata prodeſt. Quòd ſi aliquo pacto, ne hæc quidem proficiant, utendum putarim medicamentis, quæ potenter, & urinas educant, & uirtutem lapidem frangendi habeant, ut ſunt lapis Iudaicus maſculeus, & fœmineus, uitrum combuſtum, lapis cappadox, paliuri ſemen, cardui radix, rubia, acorus, paſtinaca, aſarum cum ſimilibus. Quæ omnia pro prudentia medici qualem eſſe oportet, & indicatione quæ illi eſt neceſſaria, tanquam quædã ductrix & uectrix. Interim reliqua expediamus, ne totam doctrinam, nõ infantiũ modo, ſet & adultorum, & ſenum adferamus.

Temperata nõ violenter & cũ corporis perturbatione vrinas mouent.

Campus medicamentorum vt liceat ſpaciari ne cũ remedia, aut topica, aut purgãtia deſunt deficiat & animus quod medicis timidis euenit

Medicus indicationem ſemp̄ habeat hoc eſt, morbi cauſam, et partẽ læſam ſciat.

Hic infantiũ, morbi tantũ curantur qd' ſi aliquid ad adultos attineat, hoc p̄ tranſennam putes dictũ, quando ętas ætati conuenit.

De *im*

De impotentia continendi urinam & meiendi in lecto,

CAPVT XX.

TRiſtantur maxime parentes, ex mictu in lecto, cum pueri, aut infantes ultra ætatem trium annorum, continue emittunt aquoſitatē urinalem in lecto, qui aliquando non ſolum in ſpacio unius diei, aut duorum dierum. Set continue, omni nocte, & non ſolum uſque ad ſpacium quinque aut ſex annorum, ſet aliquando ultra tempus ubertatis, quod uiliſſimum dicitur eſſe: & quodam modo infortuniū pueris ſic natis. Et ſi plurimæ cauſæ poſſint eſſe, propter quas emittunt aquoſitatem urinalem, ipſis non ſentientibus breuitate operis, non niſi ea quæ laudata ſunt ab autoribus, & uera in medium adducemus, præmiſſa tamen ſemper purgatione corporis, ſi infantes ſint, qui purgari poſſunt ab humiditatibus, quæ fortaſſe ſunt cauſſa relaxationis muſculorum ueſicæ. Curam igitur inchoabimus, præmiſſa debita ad-

Inanitio corporis præcedat quoduis aliud medicū negotiū, dummō morbus non turgeat.

miniſtratione, ſex rerum non naturalium: caueant ergo à frigiditate aëris, & ab omni cibo, & potu, habentibus aggrauare ſtomachum, & corrumpere digeſtionem, dormiant ſomno conuenienti, utantur exercitio temperato, uitent accidentia animi, ſicut ſunt clamores, ſicut exercitium immoderatum ex ira, res autem laudatas ab autoribus, Auicenna *inquit, quòd meſpilla, & ſorba conferũt multitudini urinæ.* Fidelis *aſſerit galãgam retinere urinam, & fluxum ipſius factũ ex frigiditate renum, & ueſicæ: ſcudeum etiam, ſecundũ omnem modum adminiſtrationis ipſius, confert ad impotentiam retentionis urinæ, quando humiditas uel frigiditas, uel utrunque ſunt cauſæ.* Similiter *etiam uſus enulæ confert fluxui urinæ, à frigiditate, & humiditate.* Serapio *inquit, &* Alcafabrius*, quod ſcoria ferri cum uino mixta, aut in ipſo infuſa, aut pluries in ipſo extincta, bibita exiccat humiditatem laxantem lacertum, & ipſum confortat.* Dixit Dioſcorides *cerebrum leporis, tritum & potatum in lectum mingentes, emendat.* Et Fidelis *dixit pulmo hedi comeſtus, & emplaſtratus urinæ incontinẽtiam cohibet.* Dixit *etiam*

de ueſi

de ueſica ſcroffæ iuuenis pulueriſata, & bibita reti net urinam. Raſis dixit quod ſi tollis criſtam galli, & exſicces ipſam, & tritures, & miſceas in lecto eius, qui mingit in lecto, ipſo neſciente, & curat, ex perientia ſcitum eſt, Quod ſi mingitur urina ſpiſſa, & aſpera, ſi fiat ſyrupus ex decoctione florum ne nufaris, & bibatur, ſtatim iſta urina reſtringitur, & clarificatur. Experientia autem ſcio ego ipſe, quod caro ericij terreſtris retinet fluxum urinæ, adeo quod ſi frequenter adminiſtretur, urinæ egreſ ſionem prohibet: quãuis tamen in hoc uideatur con trouerſia, quia Auicenna aſſerit carnem ericij leni- re uentrem, & prouocare urinam: & etiam Raſis. Tamen ſi quis conſideret eorum dicta, intelliget uerum eſſe quod dicitur: experimentum autem ue- rum, & à me probatum eſt, ℞. maxilæ lucij, non ſa litæ pulueriſatæ ſubtiliter, & mane & ſero admi- niſtratæ, tollunt mictum nocturnum. Secundũ ex- perimentum eſt, quod pellicula intrinſeca ſtomachi gallinarum, qui ſtomachus, noſtro idiomate uoca- tur requeſta, & eſt qua mulieres, aut coqui, cum ſcindunt ſtomachum gallinarum per medium, ele- uant quandam pelliculam, in qua continetur cibus,

ſeu coctus, & illa proijcitur. Talis autem pellicula ſiccata, & puluerifata, mane & ſero bibita, mictum tollit nocturnum mirumimmodum, non ſolum pueris, ſed adultis utriuſq; ſexus, & ſtomachum mirabiliter iuuat.

Appendix.

Speculatio huius fluxionis parū aut nihil huic negotio attinet.

VBi de infantium morbis agebatur, parum, aut nihil rei huic conuenire uideo impotentiam continendi, quæ infantibus adeo eſt neceſſaria, propter humiditatem non paruam, quæ in ipſis eſt, quam per urinas purgant ut abſq; ea male ſanus cenſeretur infans. Verum ubi decennes ſunt, neq; ante hanc ætatem bene firmos reperio, tum propter honeſtatem, tum etiam libertatem, laudo quòd uolentes & uigilantes potius, quam citra uoluntatem, aut lotium ſiſtant, aut foras mittant pro arbitrio. Dixi libertatem, cum non parua ſit ſeruitus, neq; mediocris triſtitia his, qui huic morbo (ſi morbus cenſendus ſit) quod tantum ſomno, & dormienti occurrat, & eueniat, ſunt obnoxij. Quare non infantes, ſed adultos modo curemus, urinamq; continere doceamus, quam impotentiam multi, non ſolum pueri, ſed qui triceſimum annum attingunt, obſeruarunt, magno cum dedecore, & pudore inter mortales. Timore perdunt pue

Seruitus eſt nō peruolutū lotiū nō retinere, aut nō emittere.

In pueris nocturna fluxio timore ſiſtitur.

pueri, & iuuenes illam impotentiam, & ciborum parſimonia, uinoq́; nigro, in quo rutha cocta, ſeu elixa fuerit. Iuuenibus ſuccurritur confectum ſequens, facultatem retentricem plurimum corroborat. ℞. nucis cypreßi & corticis eius, thuris, & corticis eius, myrti, baccarum, cymini torrefacti, kebi gallinæ, id eſt hepatis torrefacti, fimi columbini ana. ℥. iij. carabe, corallij rubei, roſarum rubentium, ana. ℥. ij. conſerue cythoniorum quantum ſufficit ad omnia excipienda, non multum liquida, utatur ad quantitatem caſtaneæ, cum aqua decoctionis herbæ paralyſis, quæ primula ueris dicitur, & myrtillorum, & nucis cipreßi, & gallarum. Confert etiam diarrhiæ. Item puluis ex cipero, baccis myrti, glandibus torrefactis, cymino, thuris cortice, ad partes æquales, & detur. ℥. j. & ß. cum uino antiquo, uel cum uino decoctionis balauſtiarum, ſumach, myrthillorum, thuris, cupullis glandium. Theriaca etiam confert, aut metridaticum confectum, ueſica etiam capræ ſuccenſa ſuper laminam candentem, uel tegulam torrefactam, & tritam, ſi bibatur cum aqua uſtullata, & aceto, prodeſt, uel cum uino odorifero: chimolea excepta cum felle thauri, & inſtar emplaſtri pectini impoſita ualet plurimum, cui potes miſcere adſtringentia quædam: caro hericij ſalita, ſi edatur, ualet. Caueat ab aqua, ab humidis, à ciborum luxurie, ab his quæ urinã

Apium petroſelinũ eſt.

cient,ut ſunt cucurbitæ, melopepones, apium(quod uulgo petroſelinum dicitur)radicula,baucia,auicula, quæ cauda tremula dicitur,à fructibus recentibus: utatur uino antiquo,calidis,ſinapio,caſtaneis,omni leguminũ genere,auellanis torrefactis,& procurabitur potentia, uoluntas retinendi,nec noctu meiendi, niſi uolentes,& experrecti,ſed ramicoſis me dedo.

De ruptura ſeu hernia infantium,

CAPVT XXI.

ACcidit infantibus diſpoſitio horribilis,contra naturam,& appellatur communi uocabulo ruptura,ſiue dicatur eſſe ſiphac ruptum, aut uerſus inguina,aut uerſus oxeum,aut in parte ſuminis,aut circa umbilicum,proprio autem uocabulo appellatur,hernia.Quãdo uẽtoſitas,aut aquoſitas, aut ex fractura ſiphac,aut ex dilatione didimi,aut ex additione carnis facta,propter tumorem arteriarum, aut uenarum adhærentium teſticulis, aut carnoſitati, & appellatur etiam ramex, quæ diſpoſitiones maxime cauſantur ex fractura, & præci

præcipue accidit infantibus ex ploratu nimio, aut ex caſu ſuper uentrem, aut ex uentoſitate contenta in inteſtinis, licet poſſet accidere ex nimia aſſumptione lactis, maxime uentoſi, aut aquoſi: licet etiã ex dictis cauſis poßit accidere hæc diſpoſitio, non ſolum infantibus, ſed etiam adultis, maxime ſuper repletionẽ aut propter ſaltũ, aut propter uociferationẽ, aut coitũ, ſed de his nihil ad præſens, ſed ſolũ quantum pertinet ad infantes. Si igitur cauſatur hernia ex materia uentoſa, tunc apparet tumor oxei, & quãtum ad tactum, non apparet res, neq; percipitur res dura intrinſecus, ſcilicet magis percipiuntur teſticuli ad tactum diſtincti, & tunc adhibenda ſunt remedia, habentia uim carminare, & reſoluere uentoſitatem, & facere unctionem infanti, circa oxeum, & pectinem ex oleo anethino, aut commamellino, aut alliorum alborum ſolùm, aut permixtim cum modico ceræ, & puluere cymini, aut calamenti: aut accipere puluerem fabarum, & miſcere cum aliquo dictorum oleorum, & imponere emplaſtrum oxeo. Si autem cauſatur ab aquoſitate ſola, cum medicinis quæ deſiccent, medeatur. Dioſcorides dixit, quòd bdel-

lium & proprie ſitulum, quando cum ſaliua hominis fit unctio circa oxeum, & miſceatur, donec ſit unguẽtum, dixit Auicenna, quòd bdellium remolitum in aceto, tollit herniam aquoſam. Dixit etiam Serapio, quãdo aperitur locus herniæ ſiue crepaturæ, & extracta eſt eius aqua, decoctio bdellij eſt medicamen conueniens. ex compoſitis autem ad primam intentionem, ſcilicet ad uentoſitatem, ℞. ſtercoris uaccæ ſicci, & cribrati, libram. j. ſucci caulium. ℥. vj. oua cruda tria, olei communis optimi, libram. j. ſulphuris. ℥. j. terenda tere, liquenda liqueſac. Tunc ſolutis, & liquefactis, mitte oua, & ſolue diutius, & ex hoc emplaſtro ſpleneticos, hepaticos hernioſos, & podagricos curabis. Emplaſtrum aliud in hernia aquoſa, & uentoſa, ℞. bdellij. ℥. ij. pulueris baccarum lauri. ℨ. j. olei laurini quantum ſufficit ad inſpiſſationem, & ſi addatur ſeminis ameos, aniſi. ℨ. ß. & oleum anethinum eſt efficacius, & ſi eſt hernia ex ruptura facta, addatur ſuccus extremitatum cypreſſi, & glutem piſcium. Si autem eſt hernia cauſata ex ruptura ſiphach, unde inteſtina, & zirbus deſcendunt. Tunc intromiſſis inteſtinis,

& zir

& zirbo, cum embrocationibus factis ex decoctione camomillæ, meliloti fœnogræci, & lini, corpore reſupino, pedibus & cruribus eleuatis, aut apponere filum ex lino filatum, in cineribus decoctum, tunc debemus, introductis inteſtinis, & his factis, apponere brachale, factum ex linteamine, ſeu tela, aut ferro, aut ligno, aut ligaturam quadrangularem, prius facta unctione, aut adminiſtratione ceroti. De rebus autem, quæ maxime aſſumuntur per uiam oris, dicitur eſſe radix conſolidæ maioris, & minoris, pulueriſata & in frictellis comeſta in aurora, & eſt expertum. ualet etiam herba bonifacia, & herba quæ uocatur trinitas. Serapio dixit de radice lilij tertiæ ſpeciei, quæ habet duas radices, unam ſuper aliam, quòd duæ cepæ coquantur, & quando datur per ſuperius, infantibus habentibus rupturam inteſtinalem, Dioſcorides dixit, quòd acorus confert. Galenus etiam uult, quòd baccæ uirides in potu tribuantur cum uino, aut ſucco ſuo tritæ, locus emplaſtretur. Præmiſſa tamen intro inteſtinorum miſſione. Dixit etiam Serapio, quando cum pſilio fit emplaſtrum ad ramicem, & eminentiam umbilici,

curat, Fidelis autem dixit, quòd omnem crepaturã ſanãt infra quindecim dies folia cicutæ fœtidæ, trita & emplaſtrata. Dixit etiã, de radice cipri, quæ eſt planta, de qua fit leſca, qua accenditur ignis, quòd trita, & emplaſtrata crepaturam ſanat. experimenta autem uera ſunt, ſicuti hæc emplaſtra, quæ ſequuntur: ℞. acaciæ nucis cipreſsi, ſamſuci ruthæ ficcæ, gallarum, granatorum lauri, gummi arabici, omniũ ana. ℥. xx. terantur, & cribellentur & liquentur, glutine piſcium, & aceto, ſi corpus ſit magnum, ſi uerò ſit infans elixentur cum muſcilagine pſilij, & fiat emplaſtrum, prius tamen bibatur parum pulueris nucis cypreſsi. ſecundum emplaſtrum expertum eſt. ℞. ſucci utriuſq; conſolidæ, lãceolæ, plantaginis, corrigiolæ, caudæ equinæ, arreſtæ bouis, pentaphilum, ſanguinariæ ana lib. ß. pulueris gallarum, boliarmeni, ſanguinis draconis, cupullarum glandium, corticum mediorum caſtanearum, uirgæ paſtoris, lenticulæ, maſticis, myrti, mumiæ, ana. ℥. iij. olei roſacei, ſepi hircini, ana librã. j. miſceantur, & ad ignem lentum fiat unguentum, & cum fuerit depoſitum ab igne ſemper ſpatula agitetur, donec totũ incorporetur. Aliud experimen-

tum

tũ. ℞. *ammoniaci, reſinæ pini, añ. partes æquales, infundãtur in aceto forti, quod acetum ſuperemineat uno digito, poſtea adijciatur acetum ferme totum, deinde coquatur in cacabo ad ignẽ, donec digitis adhærere uideatur, & poſt extẽdatur ſuper petia linea, & ex hoc, poſt infrigidationem, fruſtũ incindatur, in forma ſcuti: & reductis inteſtinis, loco applicetur. Et ſi uis efficacius fieri addatur puluis gallarum, & cypreßi: cum autẽ uolueris emplaſtrum auferre, ſuperpone petiam cum axungia porcina, & non auferatur, donec molleſcat. Aliud emplaſtrum ad rupturam inteſtinalem.*

℞. Radicum trium *conſolidarum, fabæ inuerſæ, uiſci quercini añ.* ℥. *ij. ſanguinis draconis boli armeni, gallarum, nucis cypreßi, gummi* Arabici *añ.* ʒ.j. *acaciæ, pſidiæ, balauſtiæ añ.* ʒ. ß. *pilorum leporis.* ʒ. *iij. ſepi hyrcini.* ℥. j. *picis naualis* ʒ. *ij. ceræ nouæ.* ʒ. vj. Et *cum oleo roſaceo, fiat emplaſtrum. cerotum ad herniam inteſtinorum.*

℞. *ſcoriæ ferri.* ʒ. vj. *momiæ, dragaganti, gummi* Arabici *añ.* ʒ. *iij. thuris, acaciæ, ſandaracæ añ.* ʒ. j. & ß. *gallarum cypreßi, glutinis piſcium añ.* ʒ. j. *uiſci quercini.* ʒ. *iij. gypſi.* ℥. *ij. reſinæ* ℥. j ß. *fiat*

cerotum cum ſucco conſolidæ, aceto, & cera rubea. aliud cerotum expertum. ℞. *nucis cypreßi, thuris acaciæ, balauſtiæ, ſarcocollæ, ſanguinis draconis, ſumach, licij, myrrhæ. añ. ℥. j. terebinthinæ quantum ſufficit ad inſpiſſandum, & rupturæ apponatur. Si uerò hernia ſit carnoſa, aut fiat ex ingroſſatione arteriarum ſeu uenarum teſticulorum, aut uertice, cura eſt, ut per inciſionem tollatur, aliter curari non poteſt. Si autem cauſetur ruptura prope umbilicum, aut ipſe emineat, quod ſæpe accidit infantibus, maximè autem mulieribus, cum ſunt prægnantes,* Raſis *dixit quòd lupini comburantur cum petijs panni linei, & cinis cum uino miſceatur, & cum ſtupis, & ſuperponatur: laudat etiam* Raſis *ſeßionem factam in aquis ſtipticis, & proprie in aqua concauinæ.* Conſert *etiã hoc emplaſtrum ſuperius poſitum, in cura herniæ.* Conſerunt *etiam quæcunq; dicta ſunt ſuperius de cura egreßionis ani.* Experientia *autem ſcio, quòd cerotum factum ex pice nauali, cum puluere roſarũ, corticum granatorum, balauſtiarum, & myrti, maxime confert.*

Appen

Appendix.

HErnia ſeu ramex commune eſt nomen quatuor his morbis, ſcilicet ydrocele, enterocele, ſarcocele, bubonocele: ydrocele aquoſus eſt ramex: quare collectio eſt humoris alicuius ceſſantis, & in alterum è teſtibus fluentis. enterocele inteſtinorum eſt ramex, fit deſcendentibus in inguina inteſtinis, diſrupto aut rarefacto peritoneo. bubonocele eſt ubi inteſtina in ſcrotum deſcenderunt. ſarcocele carnoſus ramex, & eſt durities inſtar ſcirrhi, ubi ſcilicet caro inter tunicas teſtium increſcit. Set poſt hanc nouam interpretationem & diſtinctionem, ad topica remedia deuenio, præter illa quæ autor præcepit cum quadam inſtructione & præcautiõe, ne unquã ſcilicet inciſionẽ aut præcipiamus, aut nos illi offeramus, propter infamiã, & ea quæ accidũt: ne caſu periculorũ, & mortis infames uideamur. Nempe præſtat aliquando, & ſæpius propter nomen, & gloriam artis & utilitatem, ut ægrotus ſine pharmaco moriatur, quàm eo ſumpto. Quare prouidentia, & cautela opus eſt, ne tales ſcilicet nos præſtemus in morbo deſperato, perinde atque ſit in morbo qui ſpem ſalutis proximæ affert. Quare in pleuritide peſtilente, & inſperata ac deplorata, uenæ inciſionem & apertionem ne præcipito. Sed peregrinis & uagantibus honorem, laudem, & linguas hominũ negligẽtibus id negotij relinquamus, & linimentis potius, aut emplaſtris, aut diæta, aut potione moliamur reſtitutionem, relicto gladio chi=

Ramicis oẽs differentiæ.

Medicus rationalis non adſit inciſioni neq; venarum apertioni ꝓpter pericula quę eminent, ſed chirurgũ inſtruat.

Præſtaret aliquãdo ægrotum abſque pharmaco, quꝫ eo ſumpto mori.

Vbi pleuritis eſt deplorata, venę inciſionem ne pręcipito, neque pharmacum exhibeto.

In medicos q ſine laude vagãtur & corpora ęgrotorũ carnificãt aut ferro, aut igne, aut pharmaco, aut ieiunio longo quam dietã dicunt.

rurgico aut caſtratori, aut curatori. Et ſequitur emplaſtrum exſiccans herniam aquoſam, quæ ydrocele dicitur, cui magis obnoxij ſunt infantes, non neglecto uictu nutricis, quam uolunt nutriri rebus ſiccis aßis, caueat: à fructibus, ab aqua, à rapis, & napis, & oleribus humidis. ℞. baccarum lauri. ℥. iiij. camomillæ. ℥. j. ß. piperis longi, baurach. an̄. ℥. j. ß. fiat puluis, & cum uuis paßis, ablatis uinaceis, fiat emplaſtrum: uel ex iſto puluere potes oſſeum aſpergere, & oleo ſambucino inungatur locus. ℞. Fimi bouis ʒ. x. ſulphuris igne probati, cardamomi, baccarū lauri, ſtafiſagriæ an̄. ʒ. v. fimi caprini triti. ʒ. xx. & cum uino excipito, modo emplaſtri, & utere.

Item puluis ireos, baurach, fimus caprinus ficus ſiccæ in aceto remolitæ, & fiat emplaſtrum. Et nota apponenda ſemper emplaſtra ieiuno ſtomacho. Quòd ſi offerenda ſunt emplaſtra, hoc fac, cum decocto camomillæ, melliloti, maioranæ, roſarum in aqua uel uino. Curatio uerò relaxationis (quæ entorecele dicitur) ſic fit, & erit non infantium, ſed iam puerorum, qui & medicamenta apte ſumere poßint. Iaceant reſupini, & à chirurgo ſic tractentur, ut intro inteſtinum reuocent, & cum faſcia pro more, & arte poſita exire prohibeatur. Ex his potionibus utatur.

℞. Maioris ſimphiti, momiæ an̄. ʒ. x. utatur cum uino ſtiptico ad quantitatem ʒ. j. omni mane, aut abſq; uino, cum glande etiam aluum fluxam teneat, uitet quæ flatuoſa ſunt, utatur aliquando caßia in iure gallinæ: ante cibos ſumat omni die certum pondus iſtius

pulue

pulueris. ℞. *Sanguinis draconis, boli armeni, iaceæ nigræ, momiæ, nucis cypreſsi añ.*℥.*j. aniſi, ſeminis naſturtij torrefacti añ.*ʒ.vj.*conſolidæ maioris & minoris & mediæ, ſigilli beatæ* Mariæ *(quod pollig onatum dicitur) añ.*ʒ.j. *fiat puluis, detur cum uino groſſo & ſanguineo decoctionis hederæ terreſtris & conſolidæ regalis. Item puluis ualerianæ* ʒ.j.ß.*ualet mane, & ſero cum uino exhibitus. Item puluis radicis ſcrofulariæ ualet, quæ alio nomine dicitur ſtrangularia.*Reliquas *ſpecies cæteris ætatibus relinquamus.* Q*uare ito ad uniuerſalem morborum curam, interim uenio ad puſtulas & pruritum infantium, qui laborem noſtrum cum laude omnipotentis, & immortalis* Dei *finient.*

Puluis valerianæ cum vino potus valet.

De pruritu aut puſtulis, aut excoriatione, & accidentibus crurum, coxarum & totius corporis,

CAPVT XXII.

Pruritu inquietantur infantes maxime, aut puſtulis, aut excoriatione, accidẽtibus & crurum, & coxarum & aliquãdo in dorſo & in toto corpore. Et cauſa eſt aliquando corruptio lactis in ſe, uel acuitas eius, aut ex corruptione lactis in ſtomacho pueri. Et ſi ſunt infantes magis adulti, ſcilicet ſumentes cibum, aut à nutrice, aut à matre maſticatum, uel non maſticatum. Ex illis autem ueſicis aut puſtulis, quædam ſunt quæ ſunt rubeæ, quædam citrinæ & uehemẽtis doloris, quædam nigræ: ſi nigræ ſunt, cum febre mortem ſignificãt. Circa autem puſtularum, & excoriationis, & etiam ſciſſurarum ſi quæ ſunt, ſi infans eſt lactens, ſolummodo cum correctione lactis nutricis aut matris. Si autẽ infans non poſſet accipere aliquid per uiam deglutitionis, adminiſtrare debemus ea quæ

habent uim extinguendi acuitatem ſanguinis, & etiam choleræ. Laudatur ſecundum ſententiam Raſis decoctio dactylorum, aut ficuum cum aqua fœniculi, ad expellendum acuitatem humorum de centro ad circūferentiam. Et cum materia fuerit extracta ad partes ſuperficiales, balneare ipſum in aqua cocta debemus, in qua ſint folia roſarum, & myrti. Cum autem puer extrahitur ab aqua, unge ipſum oleo roſarum: & ſi uulnera fuerint ſicca, cū oleo uiolarum, & ſi fuerit pruritus infantis ultra ſeptem menſes, balnea ipſum in aqua, in qua decoctæ ſint uiolæ ſiccæ, & ordeum excorticatū, mal uauiſcus, & folia cucurbitæ, ſed non ungas aliquo unguēto: & da nutrici ſuccum fumiterræ, & mirabolanos citrinos. Si autem acciderent cruribus aliqua ulcera ex urina, pone poſt balneum amygdalas, uel ſpodium, aut roſas pulueriſatas cum farina ordei. Secundum ſententiam Auicennæ laudatur myrtus, aut puluis eius pulueriſatus, & deſuper aſperſus, aut radix ireos, aut roſæ tritæ, aut cipperi, aut ordei farina, aut lentium: omnibus pulueriſatis ſimul, aut ſigillatim. Iſaac inquit, quòd ſi propter ſalſedinem cruribus acciderit mordicatio,

aut dolor in aliquo loco, ſuperaſpergantur farina triticea bene citroniſata, uel puluis roſarum non multũ ſubtilis, uel cum ſubtili puluere dragaganti. Ego *autem* hoc experientia *ſcio quod oleum roſarum lotum cũ aqua roſarũ, permixtum cum albumine oui, excoriationi crurum aut coxarum infantiũ, ex acuitate urinæ, mirabiliter iuuat.* Expertus *eſt etiam puluis myrti cum albumine oui, facta unctione locis læſis.* Expertum *eſt etiã ut tollatur radix uitis albæ, aut ſummitates ipſius, & terantur cũ ſale & ſuperponatur.* Experientia *autem manifeſte ſcio, quòd in pruritu & in ſciſſuris crurum, & coxarum in pueris, imò etiã in iuuenibus, & ſenibus, præmiſſa uniuerſali purgatione corporis quod unguentum factum ex unguento ceruſæ lotæ cũ oleo roſarũ, & litargirio auri mirabiliter tollit.* Set *breue quoddam addere intendo, quod & ſi paruũ ſit, & minimum, eſt tamen uirtute amplum, non ſolũ in infantibus lactẽtibus, & eorũ excoriationibus, imò etiam in nutricibus habentibus ſciſſurã extremitatum papillarum, quod eſt tale.* ℞. *farinæ amidi.* ℥. v. *aquæ roſarum quantum ſufficit ad inſpiſſationem, & fiat linimentum &c.*

Nota expertiſſimũ, qđ magis facit ad rem quã eius loquendi modus.

Appen

Appendix ultima.

PVſtulæ infantium, exanthemata græce uocantur, & fiunt ob deprauata alimẽta, quæ diuerſos morbos inducũt, præter has ampullas, quas phlyctenas uocant, humidaq; ulcera bubaſticca appellantur. Quare urinam & muriam ob acrimoniam recuſemus, quibus tamen uſi ſunt nõ pauci, lauemusq; potius decocto roſarum, aut lentium, & ſi maiori adſtrictione indigerimus, myrtum, aut malicorium addamus, aliquando etiam plantagine illinimus. Item accipe recrementa ferri ex uino, & illinito. Aliud, hordeum cum albumine oui diſſoluatur, addito oleo roſaceo, aut myrtino, ſi uerò eas ampullas, & exanthemata ruptura ſequatur, accipe cadmiæ lotæ, æris uſti & loti, acaciæ, croci, ſingulorum. ʒ.j. tragaganthæ. ʒ.ij. tragacantham in aqua diluito, & cum hac, reliqua ſumito, ac paſtillos conficito, & tempore uſus cum aqua ſenecionis, aut ſolani adiecto roſaceo illinito, ad ulcus uerò ſeu melliceridа, quod à cera & melle nomen accepit, & eſt alio nomine fauus appellatus, accipe ſpumæ argẽti, baccarum lauri partes æquales cum aceto & oleo mixtas illinito. fiunt nonnunquam intertrigines femorum & cutis & eſt cum membra, & cutis, acrimonia lotij interteruntur, & confricantur, & uocantur à græcis paratrimata. Quare accipe myrtum tritam ſiccam, & apponito, aut liguſtrum cum roſis, & cypero, aut tragachãta, & ea ſingula unà trita affectæ parti inſperge. Itẽ, accipe olei roſarum. ℥.j. thuris candidi. ʒ.j. camphoræ

Reijciẽda vrina aut muria pro medicamento vlcerũ infantiũ.

Tubercula hæc meliceridеs dicuntur accepto nomine à cera & melle.

℈.℥.quæ prius aqua roſarum maceretur, ut inde liquefiat, & his colliquatis, unguento exin facto, loca uiciata inungito. in eadem re faciet unguentum ex ceruſſa, & rubrũ, quod eſt ſandalinum, & hæc ſint ſatis, quæ non ſine labore huc attulimus, ut nihil, quod deſiderari poſſet cum ex Latinis, tum ex Græcis nõ haberes: neq; erimus his contenti, quæ non plenum numerum morborũ, quibus infantes obnoxij ſunt, perficiũt: quare hæc addantur.

Additio quorundam morborum de quibus nihil eſt loquutus autor iſte.

STERNVTATIONEM, ſingultũ, ſpirandi difficultatem, ſomniorũ terrorem, paralyſin cum tabe, ſet macie nõ innmodica, ablactationẽ infantis, & eius regimẽ. præter morbos iã ſuperius deſcriptos, addamus, ad aſsiduas ergo ſternutationes, & narium deſtillationes, ocymũ tritum, & cribratum naribus apponito, ita, ut per inſpirationem attrahatur, aut inſufflato, & hæc facunda ſunt, ubi non adeſt apoſtema cerebri, ſed ſit ex alia cauſa, quod ſi cum calore incipiat, tunc capiti eius folia portulacæ impone, aut ramenta cucurbitæ mixta cum farina ordei

ordei oleo roſaceo, & uitello oui, & totum capiti im pone, oleum etiam roſaceũ naribus imponito, aut pen na, aut aliqua re tenui, quæ nares minime offendat. Itẽ ciconiæ pennæ in ædibus ſunt habẽdæ, atq; ita fieri nõ poterit, ut infantes ſternutent bene, etiã naſo utriuſq; magnos oculorum angulos adiacẽtes compreſſeris, & ſternutationem cohercebis, arcanũ eſt quoddã naturæ. Nota de ciconia.

Ad ſingultum, qui in infantibus ut plurimũ à reple tione nõ parua fit nauſeam & uomitum prouoca, nec à uomitu, ſpatio trium horarum, aliquid ſumat, ſed ſomnum potius prouoca, ſtomachum etiam inungito oleo maſtichino, aut accipe nucẽ Indicã, eãq; tritam, & ſaccharo temperatam infanti da, ſi uerò à frigiditate ſit ſtomachi, oleo laurino, aut anethino, aut cum eius ſemine trito, & cũ ſucco menthæ calide ſtomacho ſuperimpone. ſi uerò à fame & cibi carentia oria tur ſingultus, accipe oleum uiolaceũ, aut roſarum cũ ſucco endiuiæ, aut aliarum herbarum, quæ infrigidandi & humectandi uim habeãt, & temperata cũ lacte mulieris, ſtomacho inunge, & probe, & ſuauiter & lac bene temperatum, quod erit temperatæ mulieris, necnon alia utilia quæ uires reſtituant. De ſingultu

Ad ſpirãdi difficultatẽ (quæ diſpnœa dicitur) ſuble uãdã, unà cũ ſpiritu ſtertẽte, accipe ſeminis lini quãtũ uoles, idq; cõtere, cõtritũ melle tẽpera, & ſubinde infanti dato calidũ. Etiã mulſam in os aſsidue inſtillato, quod ſi nõ ſucceſſerit, oleo mediũ digitũ intingito, & tonſillas illinito. Sed & linguæ radicẽ infra cõprimẽs, uomitum excita, ubi euomuerit, confeſtim ſanabitur, De diſpnoe.

quod ſi morbus ingraueſceret, & præcordia obſtruã tur, accipe cotum, aut ea ſemina inuoluta, eaq́; contu ſa cum luteo aſſato infanti ſorbenda dato. Quod ſi cũ difficultate fluxus uentris ſequatur, exhibito ſyrupum myrtinũ, coctum cum melle, aut dactylos cum farina tritici cum lacte coctos dato.

De inſomnijs errorem facientibus.

Inſomnia terrifica infantes interdum inquietare ſolent, quæ ex alimentorum plerũq; abundantia fiunt. ſomnus igitur ſic procuretur, principio caueat nutrix, ne infantem ſtatim à cibo cubitum reponat: deinde aliquantum mellis præbe infanti lingendum, quò facilius concoquantur, quæ concoctu difficilia ſunt, & ad inteſtina, & aluum recrementa mittantur: puluerẽ diamoſchi, aut pliris cũ maſco cum lacte ſorbendũ dato, aliqui exhibẽt theriacã cũ lacte, hoc ego nolo præcipere, quod infantibus propter uires nõ conueniat.

De paralyſi.

Ad paralyſin unà cum tabe. Primo nutrix firmanda & inſtruenda eſt cibis ſiccis, & qui plurimũ calfaciant: à piſcibus uerò, & lacte, oleribus & à carne craſſa, & ſuilla prorſum abſtineat, nec utatur uino diluto, & infantem priuſquam lactetur lauato aqua calida ſulphurea, aut ex alijs aſtringentibus, & deinde oleo caſtorei, aut coſti perungere, accipe etiam ceræ. ℥.j. euphorbij. ʒ.j. ea ſubacta, & cum oleo temperata, modo emplaſtri ſpinæ infantis impone.

De macie modica.

Ad modicam uero maciem, utere lauacro ex aqua, in qua caput, & pedes arietis euſq; cocta ſint, donec caro ab oßibus ſponte abſcedat, ſeſeq; ultro offerat, & ex hoc lauacro quotiens erit abſtergendus,

abſter

abſtergatur infans, & ſæpius diligenterq́; à lauacro auferatur. Deinde eſt ungendus hoc unguento, accipe butyri recentis, olei uiolati, & roſacei ſingulorum. ℥. ij. axungiæ porci. ℥. vj. ceræ candidæ. ℥. iiij. Eaq́; ſimul colliquata, refer in unguētū, & eo utere modo dicto.

Ad febres ſeu calores immodicos, ſi ergo febris infanti accidat, officium primum nutricis erit, ijs ueſci, quæ refrigerēt, & humectent, deinde hæc infanti dato, ſuccum mali punici, nec acerbum, nec dulcem, ſed medium, quem ſi non habeas, arte illum parabis, id eſt ſaccaro, aqua etiam cucurbitæ, & florum uiolarū, graminis, & portulacæ, aliquando cum ſaccaro, aliquando ſimplices exhibeantur. Proderit etiam ſudores infanti prouocare, accipe medullam arundinis uiridis cōtuſam, & ſincipiti, & pedibus illinito, operitoq́; ipſum infantem ueſtibus. Item perunge frontem oleo roſarū, admixto unguento populeo, cordi uerò epitema apponito, necnon hepati, ex conueniētibus, endiuia ſcilicet, lactuca, hepatica plantagine, & roſis. Ad febres & calores immodicos. Arte ſuccus parandus. Modus ſudores prouocādi.

Et ſi uox intercepta fuerit, calore aut alui adſtrictione. Quod plerunq́; ſolet euenire, braßicæ ſuccum propinato, aut inſtillato præcedente glande, quæ ano eſt ſupponenda. De voce intercepta.

Nunc de ablactatione agamus, qua finem morborū infantium claudemus initium pueritiæ facientes. Pro fine igitur infantium, quæ initium pueritiæ eſt, docendū eſt quomodo ablactandi ſunt infantes, & quo tempore. Vbi corpus erit ſolidum, cibi exhibendi ſunt ſolidiores, & micæ delicatiores, cū aqua mulſa, aut uino Pueritia tūc incipit vbi à lacte deficimus.

mulſo, aut lacte, aut uino dulci, inde oua quoq; ſorbilia, potandum uerò dabis dilutum uinum. At ubi puer iam ſolidiorem cibum ingeret, tunc paulatim ſenſimq; ab uberibus, deſueſcat, quod ſi ablactatus in morbum inciderit, ad lac rurſus reducatur, deinde ubi morbus deſierit, recreandum corpuſculum, & ita denuo ablactandum: ratio uerò uictus in ablactatis, hæc eſt, ablactati relaxandi, alacriter exercendi, cibi leuiores boniq; ſucci exhibendi ſunt, corpus tamen temperatum ab uini copia abſtinere oportet. uinum enim in calidis & humidis tēperaturis, uaporibus caput replet, neq; pueros à potione frigida inhibendos puto, quare optima & electa aqua utantur, inde à ſeptimo anno, ad literas ducendi, præceptoribusq; humanis, & manſuetis tradēdi. Multi enim malis moribus educati, intemperātia, & licentia (quæ multos deteriores reddit) ducti, bonas corrumpūt naturas, ſicut rurſus, nonnulli uitioſo corpore nati, uita prudentiori opportuniſq; exercitijs, multa refecerunt, quæ natura deliquerat.

Documentū 1ō aſpernandum.

Vires vini.

Frigida pueris non inhibenda.

Quare lector amice, in cuius gratiam hæc ſummis uigilijs à me ſcripta & notata ſunt, boni precor conſulas, qui non equidem in iuſtam de hac re inſtitutionem, ſed breuem ſubmonitionem proſecutus ſum, ſedulo tibi offero. Quod uerò reſtat, medici muti, qui non niſi uocati ſint, ſeſe ingerunt, noſtri certe adiutores, plenius, quàm alius quiſquàm loquens, negotium corroborabunt, mentem tuam confirmabunt, & ſcito, tibiq; hoc perſuadeas uelim, nihil ſcriptum eſſe hic, quod aut Galenum, aut Aetium, aut Aeginetam

Epilogus

Paulum

Paulum Galeni aſſeclas non redoleat, neq; eo nomine, & ea affectione operi detrahes, quod omnia ſint & Galeni, & aliorum, quorum ſcripta extant. Nempe non hoc, neq; Galeni, neq; aliorum opus eſt, inſtructio muta eſſe poteſt, ſolus ego ſudaui, iungens Græca Latinis, & Latina Græcis, quorum nunc uiciſsitudine opus eſt: ſi rebus, hominibus, & temporibus inſeruire uoluerimus. Sed timeo de Arabibus uerbum facere, libenterq; fateri non audeo, ne forte male audiam ab ijs, qui ſapientius habent palatum, quàm mentem, an ſcilicet eorum ſcripta huc tranſtulerim? quibus in ſumma reſpondeo, me & hic, & alibi nullos neglexiſſe, qui operam præſtare poſſent, parum aut nihil uerborum contextum curans, neq; à quo diceretur, aut quibus uerbis: ſed quid dicatur, etiam ſi ab Hebræo, Arabe, Græco, aut Latino. Qui omnes iniuriam non faciunt, ſi ſuo idiomate, & lingua germana & innata loquantur. An non per omnem terram audita ſit uox domini, recepta eius ſapientia, ſpiritusq; ubi ubi non ſpiret, & ſole cum cæteris ſideribus, terraq; & mari non utantur omnes quotquot ſunt, qui in his tenebris caligant, & palpitant potius, quàm uiuunt? nam flendo, ridendo, lætando, triſtando, ſperando atq; timendo, & dies, & annos ducimus per inanes, futiles, irritos motus animæ, atq; affectus: nihil quicquàm (ut plurimi) ad ſummã rei pertinẽtes. Quæ imprimis

Hoc, neq̃ eſt opus galeni, neq; aliorum ſet muta inſtructio eorũ eſt.

Si tẽpori & hominũ ſtudio velimus inſeruire opus eſt vt linguatũ profeſſioni ſtudeamus, quod nũc ſenes medici à iuuenibus aut inſtructi aut irritati ſumma ope nitũtur ſet ſudent quantũ velint nunq̃ peribunt prima veſtigia eorum.

Sol vbiq; lucet vbiq; ſpiritus dei ſpirat.

Peregrinatio nr̃a tota hæc quæ à Budg in tranſitu, chriſtiane de ſcripta eſt.

in uita accuranda eſt. Cæterum, non omittendum uideo, quid aliquando à Rhomanus ſcriptum ſit in mendaces Græcos, uanos, & iactabundos præ multitudine inutiles. Bonum inquit Cato Rhomanus, literas Græcorum inſpicere, ſed non perdiſcere. Quandocũq; gens iſta ſuas literas dabit, omnia corrumpet, tũc etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittat, iurarunt inter ſe barbaros omnes necare medicina. hactenus Marc. Cato. & nos Barbaros dictitant, ſed plus una noſtra ſola facit lingua, equidẽ inops, ut ipſi uolũt, quàm eorũ quinq;, confuſæ & inordinatæ, quas in artem uix unquam redigas. porrò, quo paulo ulterius proſpicio, & progredior ſcripta eorũ, qui non citra affectũ, linguam Græcam ſunt amplexati, eo magis, atq; magis cogor eam cuius (citra neglectũ linguæ noſtræ) auditor fui, deteſtari, quòd nulli abſq; comite pœnitentia, quæ miſerorum, & inconſultorum eſt comes, eius linguæ fuerunt affectatores, & laudatores, atq; admiratores, quorum ego huc exempla afferam, primo de his qui in noſtra ſunt memoria, demũ aliorum, quorum monumenta extant.

Lege quid à Rhomanis in græcos ſcriptum ſit.

Linguæ græcorũ in artẽ nõ rediguntur.

Pauci fuerũt latini linguæ græcæ ſtudioſi abſq; pœnitẽtia comite.

An non Budæus, quem fenicem, & gloriã Gallorũ placet appellare, iam tranſitum ſuum publicauit, quem ſine pœnitẽtia, unà cum gaudio, quod ſuis forte reſtitueretur, non exiſtimo ſcriptum: neq; potuit non aperire, quod latuerat diu in corde. Manardus etiã noſtras, an Galenum non ſit deteſtatus, quod unumquenq; à pharmaco, præter mentem Hippocratis, in morbo laterali terruerit, Ianum Cornariũ optimũ interpre

Budæus fenix & gloria non gallorũ mũdo ſet & oim latinorũ. i. qui ſub imperio romano ſunt.

Pœnitentia iũcta gaudio.

Manardus ſæpe à galeno deficit.

Audi Ianũ cornariũ.

terpretem interim audiamus Aetium Galeno præſe=rentē his uerbis, Aetius, inquit, omnia quæ ex Galeno tranſcripſit, maiore luce, & potioribus uerbis tradi=dit: & (ut uno uerbo dicam) magis ἀκτικῶς. Cum Galenus ut Aſianus, in pleriſque penitus ut ſuperfluus conſpiciatur: aliquando etiam, præter rem, quædam adhibeat, quorum ipſe quoq; ueniam lectorem deprecatur. hæc Cornarius. Multi ſunt præterea, qui quā=tumuis Græcis addicti, ſine Arabibus operam ſuā nō perficiunt, uix unum aut alterum uerbum proferrent, leuiſsimoq; morbo mederi poſſent, abſq; uno aut Ra=ſe, aut Meſue, aut Auicenna: quod ſexcentis ego te=ſtibus idoneis ſum probaturus. Squironius etiam præceptor meus Archiatros, nō Aquitaniæ modò, ſet & Galliarum, cuius ego uerbum non facio ſine admira=tione & laude: quod ignorantiam antiquam, nullo præceptore præeunte, exuerit, quam iam imbiberat, nec adhuc renaſcētibus melioribus literis. Quiq; hoc anno, frequenti auditorio, quando de conſtitutione artis medicæ Græce publice enarraſſet, & ad praxin, ſeu exercitationem artis multi accelerarent, & iter cōſtituiſſent: neq; eo inſalutato & incōſulto, poſtea=quam uale dixiſſet, hoc pro ultima linea, & tutore tutiſsimo ac defenſore, inquit, tenete, ne abſque Meſue Arabe, aut Gordonio, aut Raſe artem exerceatis: hi enim uos morbos omnes curare docebunt. A Galeno uerò retinete præcepta artis, argutas confutationes, ornatum dicendi, corporis conſtitutionem, omnium partium uſum, & affectus: Antidota uerò nequaquā,

quid de Galeno dicat in ꝓœmio Aetij cuius eſt interpres.

Nota hæc.

Squironius prælector Regius vtriuſq; linguæ peritus qui ſenū medicorum eſt repurgator, & inſtaurator medicinæ apud Aqtanos, hoc eſt in ſcholis noſtris publicis quę ſūt Mōſpeſſuli.

Quid ſit à Galeni lectione reportādum.

Galenus nō nouit Antidotorum noſtrorū bonā partem.

quòd eorum bonam partem non nouerit, quibus uti ſolemus: non nouit rhabarbarum noſtrum, mannam, moſchum, ſaccarum, caßiam, iubetum, agaricum noſtrum, ſyrupos (quos potiones antiqui uocabãt) aquã uitæ, deſtillationem aquarum, uarias catapotiorum cõpoſitiones, quæ ſunt in officinis: neque dubito quòd ſi Galenus ab inferis reuocaretur, potius quàm à cœleſtibus, quin artis expers cenſeretur ab unoquoq;, imò ipſe potius ſe in aſinũ uerſum ingenue fateretur. Neq; ille eſſet Galenus, quem Deum medicorũ extollimus & admiramur, propter tot remediorũ luxuriem, tot artis portentoſas oſtentationes, tot hominũ illam falſo profitentium faſtus, & illecebras, qui quaſi ſe inſtar publicarum mulierum foro & uẽditioni parant, & conſtituunt. Itaque in hac artium ſola euenit, ut cuicunq; medicum ſe profitenti ſtatim credatur, quum ſit periculum in nullo mendacio maius. Set de his ſatis, quæ pluribus uerbis forte, quàm oportuit, ſcripſimus. Set ab interpretatione ad admonitionem non iniuria ſum euagatus: interim tamen, tu lector beneuole & ſtudioſe, cui huc omnia transferre non potui. Neq; in hoc laborem ſuſcepi, ſet breui cõpendio, quicquid ad hanc rem faciebat, perſtringere ſtudij, apophthegma Alexandri ſuſcipe, quo mentem illuſtres. Quoniam igitur hominum multitudinem bifariam partiuiſſem, in Græcos, & Barbaros: Alexãdrum commoneſaciebant, ut Græcis quidem ſicut amicis, barbaris autem ſicut hoſtibus uteretur. Satius eſſet, inquit Alexander, hæc uirtute, atque malicia diuidi: complures enim

Catalogus eorũ quæ ad tempora Galeni non peruenere.

Aſini volantes ſunt medici q libellis quibuſdã ſe foro parãt inſtar negotiatorum.

Digreſſionis excuſatio.

Lege Alexãdri reſpõſum Chriſtiano dignum.

enim Græcos malos eſſe, & Barbaros urbanos, ſicut Indos, & Arianos, Romanos etiam, & Carthaginienſes reſpublicas permirifice tractantes. Quapropter tanti uiri conſilium ſequuti, monitoribus relictis, Dei immortalis ſimus potius, quàm hominũ, à quibus multi cæcutientes, exilium, incendium, & tormenta patiuntur. Neq; nos Galenus, aut Auicenna, aut quiuis alius mentem noſtram ſuperet: mortales enim omnes fuerunt, rudes adhuc, & iuuenes neceſſe eſt ut ducamur, aliquando etiam toties ducti, cibo ſolidiori, relicta infantia, mentem, & cor pungamus, & aperietur nobis uitæ theſaurus, neque faciendi libros plures ullus eſt finis: frequensq; meditatio, afflictio carnis eſt. Quare Deum time, & mandata eius obſerua, & eris certe omnis homo: nam adducit in iudicium cuncta, quæ ſunt ſub cœlo Deus. Quare uale lector, & luci ueræ, & æternæ habe gratias, ſi aliqua dicta ſint, quæ tibi ſatisfaciant, quæ ſuo radio nos hic in tenebris illuſtrat. Si minus imbecillitati meæ adſcribito potius quàm uolũtati, quæ recta erat, ut & me, & artem, ne aliquo in loco manca eſſet, illuſtraret. Vale.

Oportet nos eſſe Dei & nõ hominũ.

Oribaſius, Galenus, Ariſtoteles & cæteri id genus homines, rudes, neque quæ dei ſunt capaces fuerunt.

Breuis epilogus quo ad Deũ immortalem omnia dirigimus.

Illuſtriſsimo Do.

GVLIELMO ARSAGO APVD
*Viennenſes Allobrogas Primario Propræ
tori Petrus Toletus profeßione
Medicus, Salutem dicit
perpetuam.*

QVVM NOSTRI, ET LI-
*terarum es amantißimus, uir omni
bus ornamentis Prætoris clarißi-
me, & omnibus modis magne, non
uanæ gloriæ cupiditate illectus, ſet tantum tui no-
minis ſtudio, & uitæ longioris conſtitutione affe
ctus, quæ ſecũdum Deum, ab arcanis artis diuinæ,
potius quàm apollineæ, paratur & acquiritur, cu-
iusq; artifices medici appellantur, tibi ſtudui, &
tandem tua cauſa omnibus uitam cum ſenio (hoc
eſt rude donatis) finire cupientibus, hunc libellũ
de prandij, & cœnæ portione Odi de Odis Pata-
uini, medici doctißimi, cum paraſtaſi noſtra dare
& deuouere: tibi enim iure debeo, quicquid opera
noſtra facere poteſt. Neque aliquid omiſſum inue-*

Vita cibaria medico ꝓrogatur.

Itali in literis ſeneſcētes.

nias, quod faciat ad uitæ (quæ à cibis pendet) inſtitutum. Hoc *igitur uoluntatis indicium potius, quàm librum aſpice, quem diu negauerant* Itali *in literis ſeneſcentes, aut à priuilegio (ut uocant) ſet melius dixeris à mala libertate, quæ ſeruitutem adfert, aut ab impetu furente bellorum, quo tollitur hominum conſuetudo, &* Dei *æterni fabricatur ira: nam uerè iræ domini fabri ſumus.* Hunc *igitur prætor æquiſsime accipe, ut inde tollatur omnium obloquutorum ſermo inanis & ſtultus, qui nigra illecebris orationis fucatæ candidat, & male dealbat.* Sed *ſit finis, ne hominum flagitia proſequendo (quibus continuò in lachrymas ſoluor) in uolumen tranſeat epiſtola.* Vale. Tui *erit candoris boni conſulere noſtram animi uoluntatem.* E *Lugduno apud* Germanũ *à* Roſa, X. Calend. Decemb.

M. D. XXXVII.

ODI DE ODIS PATAVINI, PHYSICI AC MEDICI, de Cœnæ & Prandij portione Libri Duo,

Cui facta eſt acceſsio non parua ex Paraſtaſi PETRI TOLETI Doctoris Medici, ad Illuſtriſsimum Prætorem Gulielmum Arſagum.

ODVS DE ODIS PATAVINVS PHYSICVS, ac medicus, Marino Georgio, Marco Minio, Gaſpari Contareno Gymnaſij Patauini Inſtauratoribus optime meritis Salutem dicit.

CVM MECVM SAEPE *animo repeterem uiri clariſsimi, Quod licet idem, qui olim, nunc mũdus ſit, neq; Solis circuitus inuerſus, nec ulla aliarum ſtellarum, ſiue fixarum, ſiue errãtium, nec dierum ordinis mutatio facta ſit, Tamen perquam raro hiſce temporibus quempiã naſci cernimus, qui ad bonas artes perdiſcendas, in quibus priſcis temporibus claruiſſe liquido conſtat, aptus eſſe uideatur, eóque neminem amplius talem euadere, qualem, uel Phidiam inter ſtatuarios, uel Apellem inter pictores, uel Platonẽ atq; Ariſtotelem inter philoſophos, uel Hippocratem, ac Galenũ inter medicos euaſiſſe uidemus, Id inquam*

inquam, non potui non uehemẽter admirari, quum præſertim ad bonas artes aditus nunc nobis facilior ſit, quandoquidem, quæ antiqui longo tempore aſsiduis uigilijs, & laboribus parta monumentis mandarunt, breuiore nos tempore perdiſcere ualemus. Atque quum huius ego rei cauſam inueſtigarem, id mihi tandem ſuccurrit, quod pleriſque in locis Galenus affirmat, ex recta uidelicet cibi, potusq́; ratione non bonam modò gigni corporis temperaturam, ſed etiam animum reddi præſtantiorẽ, ex praua autem & prauam corporis gigni temperaturã, & bonos animi mores corrumpi, mentemq́; à proprio diſtrahi munere. Quum itaque antiquorum illorum feliciſsimo ſeculo rectam uiuendi rationem ſibi homines inſtituiſſent, ut bonam corporis temperiem, ita bonos animi mores ſibi compararũt. Proinde non pauci extitere, qui eatenus fortunæ bona expetenda eſſe iudicantes, quatenus ad ſuppeditandum corporis neceſsitatibus ſatis eſſe exiſtimauerant, nullis pepercerunt laboribus, ut in bonis artibus excellerent. At his temporibus, ut ab illa priſca uictus ratione homines diuerterunt, ita quantum ab ea diſceſſere, tantum in animi mo-

ribus facta eſt commutatio. Quare bonis artibus neglectis nunc ut ditentur, ſeſeq́; cibo, ac potu ingurgitẽt, & ueneri, ac omnibus deniq; flagitijs, guláq; inſeruiant, ſolicitos eſſe conſpicimus. quòd ſi quis aliquã artem diſcere inceperit, neq; tantũ perferre poterit, ut ad propriũ artis finẽ perueniat, ueritus ne alij citius ditẽtur, quàm ipſe in arte illa conſumatus eſſe poßit. Neq; enim homines nũc uirtutis amore ducti, & ut alijs opitulẽtur artes ſibi diſcẽdas proponũt, Sed ut tametſi forte fortuna diuites ſunt, adhuc ditiores efficiãtur. Itaq; hac de cauſa exiſtimaui paucos nunc tales eſſe, quales ueteres illi non pauci extitere. Quare quũ oſtendere cuperẽ, communẽ nunc uiuẽdi rationẽ ab illa uetere, & recta non parũ declinaſſe, id ex prãdij, cœnæq́; ratione mutata uno opuſculo declarare conſtitui, ut inde poßit unuſquiſq; in cæteris quãta facta ſit commutatio iudiciũ facere. Quod opuſculũ in duo perquã breuia diuiſum uolumina his longioribus noctibus elucubraui, quod ab Oratio admonitus, qui ne præcipitetur editio iubet, mecũ intra priuatos parietes perdiu continere ſtatueram, ut refrigerato tandem inuentionis amore tanquam aliena legens

acrius

acrius iudicium adhiberem, ſeueriusq́; rem uniuerſam perpenderem. Sed à certa me ſententia amicorum ſtudia auerterunt, qui editionem hanc contendere à me nunquam deſiuere, quoad in ſuam me, qui longe aliter ſentiebam, traxere ſententiam, atq; eā in primis afferebant rationem, quamobrem opuſculum hoc quàm primum publicum facere deberem, quod opinio illa falſa profectò de cœnæ, & prandij portione, quæ in hominum animis per multa ſecula inſedit, atq; inueterauit, non minus ad hāc diē detrimenti mortalibus attulerit, quàm hæc, quam non ex noſtra officina, ſed ex antiquorū ſacrarijs uetuſtatis ſordibus obſitam produximus, emolumēti ſit allatura. Quare, tum ut hominibus mei amantiſsimis morem gererem, tum ut communi omniū ſaluti conſulerem, elucubratiunculam hāc grauiſsimorum hominum autoritatibus munitam, ductu, auſpicijsq́; ueſtris in aciem eduxi. uideo enim quantas omnium fere medicorū in me pugnas concitē. Sed quum ſtudeā placere bonis, quàm plurimis, ut Terētianis utar uerbis, totus ex grauiſsimo, acerrimoq́; iudicio ueſtro pendeo, uiri doctiſsimi, quorum tutelæ ueluti numinis cuiuſdam optimarum artium ſtu-

dia patres publico decreto merito commendarunt. Quod ſi hoc quicquid eſt, quod quaſi ſpecimen quoddam emiſi (tutius eſt enim in parte, quàm in toto periclitari) à uobis probari intelligã, Ex ueſtro iudicio duntaxat uigiliarum mearum uidebor mihi ampliſsimum præmium conſecutus, Daboq́; operam, ut perfectiora elaborationaq́; deinceps à nobis in publicum prodeant. Valete, meq́; uobis dediti ſsimum fouete.

Odi de Odis Patauini Phyſici, ac Medici, De Cœnæ & Prandij Portione,

LIBER I.

QVONIAM *totius corporis nutritio non ſine noxa efficitur, niſi, quæ extrinſecus ingeruntur, recta ratione adminiſtrentur: ut autem recte adminiſtrari poßint, quantitas ſpectari, & tempus idoneum deligere oportet, quo ea ſunt exhibenda: in quo cenſeo recentiorum plurimi non modò ægris, ſed etiam ſanis præcipientes, ut parcius quidem cœnent, uberius autē prandeant, non parum in utriſq; aberrare: tum ut illis morem geram, qui ſæpe me aliâs, & nunc hortantur, ut hoc onus ſuſcipiam: tum ut alijs omnibus, & poſteritati aliquid proſim (quippe fortaſſe dabo ſaltē alijs in hac re quippiam ſcribendi occaſionem) ſtatui hoc libello demonſtrare, & ſanis, & ægris (nōnullos tamē excipiam) melius eſſe in cœna plus cibi, quàm in prandio ſumere. Quod uerò alia quidē corporibus optimā*

temperaturam ſeruantibus alimenta conueniant, alia calidis, alia frigidis, alia humidis, alia ſiccis, necnon alia, atq; alia, aliam, & aliam compoſitam habentibus temperaturam: præterea alia laxiorem, alia denſiorẽ corporis texturam, alia æqualem, alia inæqualem totius corporis ſtatum ſeruantibus, quæ rurſus nemo inficiabitur alia, atq; alia eſſe debere iuxta triplicem totius corporis inæqualitatem, quam Gal. vi. de tuẽ. ſan. explicauit, & pleraq; alia pro recta ſalubris uictus ratione ſeruanda, quæ longum eſſet recenſere, is perquirat, qui ea perdiſcere cõcupiſcit, apud Gal. in lib. de ſan. tuen. & in eo libro, qui de diſ. cõti. inſcribitur, tametſi non conſtat illum inter legitimos Gal. libros eſſe enumerãdum, apud Celſum in primo lib. de re medica, apud Raſim in quarto ad Alman. apud Haliab. in primo Prac. apud Aui. in tertia primi, & ſecunda canti. apud Auer. in eadem ſecunda canti. & ſexto colli. de his enim pertractare non eſt præſentis negotij. Verum ut hæc diſceptatio, quæ in præſentia eſt ineunda, ordine procedat, quædam prius ſumam, quæ inter eos, qui præcipui in medicina habentur, cõuenire oſtẽdam, deinde ad id pertranſibo, quod oſtendere conſtitui. hac enim ratione nõ ſolum Ariſto. ſed etiam Gal. in primo Metho. Med. uolumine docet demonſtrationes nos moliri oportere. Rem itaq; aggrediar, ubi eos rogauero, qui hunc librum legere decreuerint, ut totũ perlegant, ac omnia diligenter examinent, prius quàm de ipſo, aut ipſius authore ſententiam ferant. Sed puto me facturum operæ pretium, ſi in primis reſeraue-

ro, quid hominem coegerit extrinſecus cibos ingere=
re, quáq; ratiõe ſiat totius corporis nutritio: neq; enim
ad ea, quæ declaranda ſunt, id erit inutile. Humanum
itaq; corpus ex humida conſtare ſubſtantia, quæ calo=
ris actiõe, tum naturalis, tum aëris continentis iugiter
effluit, & ob id cibo, potuq; indigere, ut quod effluxit
è corpore reſarciatur: erit unicuiq; abunde manifeſtũ,
qui primum Gal. librum de ſan. tu. & decimiquarti
Aphoriſmi primæ parti. expoſitionem perlegerit: ue=
rùm quoniã unaquæq; corporis particula diſſoluti lo=
co nõ niſi, quod ſibi perquàm ſimile eſt, admittit: quã=
do, quod effluit, tale natura eſt, quale quod ſeruatum
eſt: quæ autem ingeruntur, talia non ſunt: ob id ea cõſi
cere natura cogitur, ut cõuenietẽ mẽbris ſimilitudinẽ,
quoad fieri poteſt, cibis cõparet: quod ut optime fiat,
cuilibet corporis particulæ cõnatas ei facultates natu
ra tribuit, quibus quum particula inanis redditur, &
quid magis ſibi eſt affine attrahat, & certo tẽpore cõ
tineat, & alteret ad ſibi ſimile, ac ſibi appoſitũ cõglu
tinet, aßimiletq;, necnon & excremẽta, quorũ neceſſe
eſt generationẽ ſubſequi, expellat, uel quod ei ſuper=
eſt alijs propellat: quũ uerò tota hæc actio naturalis
ſit, animalibus, & plantis cõmunis eſt. Quoniã autẽ, ut
docet Gal. quarto de Symp. cauſis, cap. ſeptimo, &
quarto de uſu partiũ, cap. ſeptimo, ſtirpibus (quia ter
ræ affixæ ſunt) terra ipſa cibi prõptuariũ præſto eſt,
ex qua radices neceßitatis tẽpore cibum facile præri=
piunt: præſertim quoad anni tempora propriã ſibi ſer
uant temperaturam: propterea ſenſu nõ indigent, quo

propriam inanitionem ſentiant: Animalia uerò, utpote quæ (paucis exceptis) terræ nõ reſident: quãdoquidem eis, & uoluntarie ſecundum locũ moueri, & ſubſtantiam longe magis à terra diſtantem, atq; illa plantarum natura conceſſit: huiuſmodi ſenſui magis obnoxia eſſe neceſſe eſt: ut eodem tempore, quo indigentiã ſentiant, familiarem ſibi cibum & quærant, & ad ſatietatem ingerant. Verum, quum corporis particulæ cuti ſubditæ à uicinioribus ſibi partibus trahant alimentum, mox & illæ ex ſibi propinquioribus, hæ rurſus ex alijs ſibi uicinioribus, & ita ex propinquioribus partibus ordine quodam facta ſemper attractione, donec actio ad uentriculum terminetur, omnes corporis partes ex uentre, perinde ac plantæ ex terra, cibum eliciant: non magis eo ipſo ſenſu, quo penuriam ſentiant: atq; ipſæ ſtirpes indigent: At ſolus uentriculus, ut cui deeſt, unde cibum attrahat, per duos nõ exiles neruos à cerebro ad ipſius oſculum demiſſos illam iure facultatem admittit: ut ea ipſius ſuccionem à uenis ex eo ſuccum ueluti emulgentibus factam animal percipiens, eum ipſum uentriculum ad ſatietatem cibis impleat: quos uentriculus circumplectens, & undequaq; (ubi integram ſanitatem ſeruet) arcte comprehendens non ad eum finem conficit, ut Gal. docet tertio uirtu. natu. cap. xiij. ut eos alijs membris aptos efficiat: quando ſic non naturale foret inſtrumentum: ſed quoddã animal potius ratione, atq; intellectu præditum, quod eligendi melius haberet facultatem: ſed ut eis perfruatur, atq; non ſolum ea, quam recentiorũ

pluri

plurimi qualitatiuã appellant, ſed uera nutritione nu triatur, ut unuſquiſq; ex Gal. in xviij. aphori. ſecundæ par. expoſitione, & in calce quarti uoluminis de ſan. tuen. libroq́; tertio de potentijs natu. cap. vij. & xiij. facile percipiet. neq; enim qualitatiua tantũmodo, ſed uera nutritione id nutrit: quippe quod ei, quod nutri tur, & apponitur, & unitur, & aßimilatur: qua ra= tione uentriculum ex eo quem chylum recentiores ap pellãt, nutriri, cum alijs prædictis in locis Gal. innuit, tum tertio de poten. natu. cap. xiij. allegato apertißi= me profitetur, ſed de hoc diſſerere non eſt præſentis inſtituti. Confecto itaque in ipſo uentriculo alimento pauloantè ingeſto, & ad ſatietatem appoſito, nonni= hil etiã ex ipſo ad hepar delato, quod in prima illius temporis efficitur portione, quo fit omnis alimenti di ſpenſatio (illud enim Gal. loco ſuperius adducto in tres diuidit portiones) quoniam uẽtriculus, quicquid ſupereſt, loco oneris habet: id igitur tanquam ſuper= fluum excernens inferius ad inteſtina propellit: atque in ſecunda temporis portione alimenti plurimum inte ſtina pertranſeuntis ad iecur per uenas rapitur, parũ uerò per totum fertur corpus, inteſtinorumq́; tunicis fit alimẽti appoſitio: & ſimili modo in hepate coctio ne peracta eidem hepati alimentum ad ſatietatem ap ponitur, idq́; uentriculo unitur, quod in primo tempo re erat eidem appoſitũ: dein iecur, quod ſupereſt, ad cauam uenam expellit, atq; in tertia eiuſdẽ temporis portione ipſius alimẽti cõcoctio in uenis agitur: fitq; per totum corpus alimenti diſtributio, & unicuique

parti illius appoſitio, quod utpote ſibi magis affine attrahit: quo tempore, quæ inteſtinis, & hepati erãt appoſita, uniuntur: nutritur autẽ uẽtriculus, quũ iam integre aſsimilauerit, quæ prius ſibi unierat. Quibus peractis, excrementisq; depoſitis, ac uniuerſo denique corpore ab omnibus ſuperfluitatibus depurgato, iam tempus aderit, uentriculo nouum cibum appetẽti denuo nutrimentum ingerere, ut Galeno placuit tertio de poten. naturalib. capite decimotertio allegato, & Auerrois ſexto Col. capite ſexto, atque Haliabas primo prac. capite ſexto, quare illo ingeſto, quo tempore uentriculus rurſus concoquit, atq; ad ſatietatem illius alimenti depaſcitur humiditatẽ, & illa perfruitur: inteſtina, & iecur, quod ex priori alimẽto unierant, ſibi integrè aſsimilabunt: in omnibus autẽ corporis partibus eorũ fiet unio, quæ prius fuerãt appoſita: ubi uerò uentriculus ad unionẽ cõuerſus, quod ſibi ſupererat, inferius propulerit: tum hepar & inteſtina, quæ operi priori ultimã manũ proximè impoſuerãt, quæq; omnifariam quietẽ ab omni prorſus operatione nutritioni deputata nõ admittũt: quãdo (ut dictũ eſt) eorum ſubſtãtia cõtinue effluat, rurſus alimentũ ad ſe tranſmiſſum alterabunt, ac ſibi ad ſatietatẽ apponẽt: interim autẽ, quod in priori tempore uniuerſo corpori uniri dicebatur, aſsimilabitur: quare unaquæq; corporis particula ex eo rurſus alimẽto, quod hepar unà cum inteſtinis ad unionẽ cõuerſum ad uenas tanquam ſuperfluũ reijciet, quod eſt ſibi magis familiare attrahet, eiusq; perfruetur humiditate. Si igitur rurſus poſt

hæc

hæc tertiam animal cibationem ſumpſerit, eodem modo quaſi per manus tradita, ſicut proximè dictum eſt, ſine ulla penitus noxa nutritio procedet: quandoquidem nulla erit actio alteri actioni impedimento: ubi enim tum uenter, tũ hepar & inteſtina, tũ uniuerſum corpus nouum ſuſcipient alimentum: ad eius, quod hoc præceſſerat, integram confectionem nihil actionis ſupererit. Quòd ſi quis hanc cibandi rationem neglexerit: horum alterum neceſſariò eueniet: quippe aut ab aliquo dictorum operũ naturalis facultas auertetur: ſi, antequam prædicta omnia peracta ſint, cibus denuò ingeſtus fuerit, aut noxijs humoribus uentriculus replebitur: ſi diutius, quàm par eſt, inediam perpeti coactus fuerit: quorum utrunque ſummopere cauẽdum eſt. Septimo enim meth. Med. cap. vj. ſcripſit Gal. rationabile eſſe, priorem cibationem tantam exhiberi, quanta, prius quàm ſecũda ſumatur, tota prorſus concoqui poßit. Et in libello de diſſol. conti. cap. primo, ſcribitur: Secundum cibũ ante integram prioris confectionem ingeſtum eſſe in cauſa, ut & ipſe, & quod prioris reliquum eſt, corrumpatur. Auicen. quoq; tertia primi, Doc. ſecũda, ca. vij. inquit: Quod enim in corpore eſt deterius, eſt nutriens. (Sic enim ipſe loquitur) ſuper nutriens, quod non eſt digeſtum, mittere. Præterea in tertio de pot. nat. cap. xiij. ſæpe citato ſcripſit Gal. quòd ſi uẽtriculus appoſito, unito, atq; aßimilato nutrimẽto, ieiunus cogatur permanere ex his, quæ in meſenterio, & hepate uenis ſunt, nutrimẽtum attrahet: nõ quidẽ quod iam propriæ hepatis

carni, & unicuiq; uaſorum, quæ in ipſo ſunt, appoſitũ eſt: multoq́; minus quod iam eſt unitum, uel etiam aſſimilatum. Sed in uenarum concauitatibus contenta arripiet, & ea præſertim, quæ aut ſunt excrementa eorũ, quæ in iocinore genita ſunt, aut ſunt hepati ſuperuacanea, quibus cupit iecur exonerari: nec non & ex liene, atq; alijs particulis, & præcipue propinquioribus ſuperfluitates eruet, quæ facilius trahi queunt, utpote partibus, quod eſt ſibi magis affine arcte cõprehendentibus, expultrice uerò facultate, quod eis eſt inutile, aut supereſt, expellente. Et Auic. tertia primi doc. ſecunda, ca. vij. poſt uerba, quæ eadẽ ferè a Raſi in iiij. ad Alman. cap. iiij. mutuatus eſt, ſubintulit: Tolerare famem (hæc enim ſunt eius uerba) ſtomachum putridis replet humoribus. Eadẽ ſententia ex Haliab. colligitur primo Prac. cap. vj. Ex ijs, inquam ſatis manifeſtum eſſe arbitror, ſecundam cibationem, antequã prior tota ſit confecta, non eſſe ſuggerendam, nec uentriculum eſſe cogendum, ut, quum cibum appetit, diu ieiunus permaneat: quod unum eſt ex his, quæ ſumẽda ſunt. Alterum eſt, quòd ſine noxa ſumi non poteſt maior, minor'ue alimentorũ quantitas, quàm calor naturalis poteſt peruincere. Quippe quum calor naturalis, quoniam (ut dictum eſt) continue effluit, ſanguine inſtauretur, quemadmodum flamma oleo, aut lignis, ut in libello de uti. res. cap. iij. Gal. placuit, & in principio libelli de iuua. anhel. Galeno attributi ſcribitur, ut flammam debilitari, & demum extingui oleo, ligniſq; deficientibus neceſſe eſt: ita in ſanguinis defectu ca

ctu calori naturali eueniet: quoniam autem ex cibis in uentre confectis ſanguis generatur: quantoq́; calor maior eſt, tanto maior eſt quoque eius effluxus: igitur qui calorem in ſua magnitudine conſeruare uoluerit: tantum cibi erit opus aſſumat, quantum poßit calor concoquere. Sic enim nec quantitate alimenti calor ſuffocabitur, nec eiuſdem paucitate deficiet: quorum alterum omnino contingere, ubi, quæ debet, cibi quãtitas non exhibetur, ſcripſit Gal. in ſecundo de mor. cauſis, cap. iij. in hunc modũ, Alimentorum autẽ ipſius uel abũdantia, uel defectus, aut aliena qualitas ad hũc illi modum officit. Magna quidem lignorum ſtrues, ſi cõfertim exiguæ flammæ iniijciatur, ob immodicæ quãtitatis exceſſum eã ſuffocabit: at, ſi nulla penitus aut pauca admodum ligna ſuppeditaueris: tabeſcere flammam uidebis, idq́; ob alimenti defectum, uel paucitatem: ſic lucernæ flammam & minui, & ferè extingui uidemus, ubi proprium ipſius alimẽtum à iuſto modo aberrauerit: ſiue enim nimis parce oleũ adhibeas, ſiue affatim plurimum infundas, noxam non uitabis &c. Inſuper ubi plus cibi ingeſtum ſit, quàm calor poßit peruincere, quòd mali generabuntur ſucci, ita eſt manifeſtũ, ut nulla declaratione indigeat: qui uero id cupit apud autores perquirere, legat Gal. in ij. de mor. cauſis, cap. iij. & in vj. de ſymp. cauſis, ca. j. Raſim in iiij. ad Almanſorem cap. iiij. Haliab. primo Prac. cap. vj. Auicen. iij. pri. doc. ij. cap. vij. illud tantum dixiſſe ſufficiat, quod Gal. ſcripſit in ij. de mor. cauſis, cap. iij. Optimi quidẽ ſucci cibum, & qui plurimum ali-

menti præbere poteſt, ſi animanti immoderatius ingratur, frigidos morbos excitare: quod etiã eodẽ in loco ſcripſit poſſe ex uino cõtingere immoderatius ſumpto: quod quidẽ, quum alimentum ſit ualde familiare, modice ſumptũ naturalẽ calorẽ augere poteſt. Quod uero minore, quàm ſibi cõueniat cibi quãtitate calor naturalis debilitetur, ex Hippocrate colligi poteſt xiiij. & xv. aphori. primæ parti. in cuius aphoriſmi xv. expoſitione Gal. cauſam inueſtigans, cur calorem naturalem hyberno tempore pluribus egere alimentis Hippocra. dixerit: ſcripſit, quòd niſi hic abundans habeat, quo fruatur, alimẽtum primo ipſe à circũſtante frigore ſuperabitur, tam ab eo, q extrinſecus ingruit, quàm ab illo, qui per inſpirationẽ attrahitur: cũ ipſo uero & coctio ciborum debilitabitur, & optimi ſanguinis generatio, & partiũ animalis enutritio, & ſuperfluitatũ expulſio. In fine quoq; eius expoſitionis repetẽs oportere alimentũ quãtitati caloris naturalis æquari, illos excipiebat, qui ueris tẽpore ſanguinis indigent miſsione, in quibus timor eſt, ne ambiẽtis aëris qualitate nimis extendatur, atq; diffundatur ſanguis. Haliab. quoq; primo Prac. cap. vj. ualentius alimentũ multo calori, ac robuſto, leuius autẽ paruo, & debili ſuppeditare fas eſſe, exemplo declarauit, inquiens, maximum ignem multis ac ualẽtioribus lignis augeri, & quodammodo nutriri, cui ſi paruum, ac debile lignum ut palea inijciatur, ſtatim abſumitur: propter quod ignis aut minor, & debilior fit, aut extinguitur: quare Gal. vij. meth. Med. cap. vj. conſumptorum renutritoriam

toriam, reſectoriamq́; uictus rationẽ docens ait, quòd quanto hi meliores efficiuntur, tanto tum plures, tum ualentiores cibi, quàm prius exhibendi ſunt. Facile *quoq; id elici poteſt primo de alimen. facu. ca. j. & ij. Sic itaq; conſtat, alimenti quantitatem pro portione quantitatis caloris naturalis eſſe oportere: quare prudentem medicum ſumma ope niti decet, ut eum non lateat, quo magis tempore calor naturalis ad cibos cõficiendos fortior eſt.* Q*uod nimirum non ignorabit, ſi ſciuerit calorem naturalem, tum ſomno, tum aëris cõtinentis frigiditate augeri, reddiq́; ad ciborum coctionem ualidiorem.* Q*uippe, quum naturalis calor in ſomno ad internas partes ſecedat, ad naturalia quidem munera obeunda potentior, ad animalia uero imbecillior reddetur: cõtra uero in uigilia, ut in iiij. de ſymp. cauſis, cap. viij. Galen. his uerbis manifeſtauit.* Præ*terea neminem latet, ſenſus per ſomnos, aut ocioſos omnino eſſe, aut debiliter agere: conſentaneum itaq; eſt, exiguam quandam à principe parte facultatem, tum defluere. quod enim quis uel profunde, uel minus profunde dormit, ex eo eſt (ut quotidie dicere ſolemus) quod aut plus, aut minus affluit, quippe tãto minus affluere par eſt, quãto grauior fuerit ſomnus. itaq; toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas quieſcere, naturalis uero ualidius agere uidetur &c.* E*t in tertio, de cauſis pulſuũ, quod uolumẽ ab his, qui illud tranſtulerũt, expoſitio introductorij pulſuũ inſcriptum eſt. Gal. cauſam reddens, cur pulſus in ſomni initio debiliores fiant, & tardiores, atq; rariores, poſt*

modum uero maiores, & uehemẽtiores: ſcripſit id effi ci, quia calor cogens ſe ad interiora cibũ inuenit con ficiendũ, & ut eũ peruincat laborat: quo fit, ut quoad illum ſuperauerit, imbecillior uideatur: qui adeptus uictoriam, & ualidior redditur, & pulſus maiores, ac uehementiores operatur. In*ſuper* Auer. *in prima cãti. cõme.cxxxviij. & cõme.xl. ſecundæ eiuſdem rationẽ aßignans, cur in ſomno melius cibi cõficiantur, id fieri inquit, quoniam uirtus concoctrix tunc in alimẽti co ctione duplici utitur calore, proprio ſcilicet ac eo qui, prius quàm ad interna ſecederet, uirtutibus ani= ma libus deſeruiebat.* Itid*em ex* Haliab.v.Theo.*cap.* xxxv. & *ex* Auic.*ſecũda primi, doc. ſecũda, ſum. pri ma cap.xiij. & doc. tertia, ſum. ſecũda, cap.xij. & ter tia primi doc. ſecunda, cap.ix. & in prima canti.tex.* cxxxviij.*unuſquiſq; id poteſt perdiſcere.* In*ſuper* Ari*ſtoteles in libello de ſom. & uig. uolẽs oſtẽdere, quod ea, quæ nutriuntur (ſentiant alij quicquid uelint) ſen ſu nõ indigent, ut nutriantur, ſcripſit ſenſum habẽtia tum maxime nutriri, quando ſecundũ ſenſum nõ ope= rantur.* Et Th*emiſtius in illius libelli paraphraſi cap.* v.*quũ dixit, quòd quæcũq; aleſcũt, nõ neceſſario etiã ſentiunt, hæc uerba ſubintulit,* Hoc *uero demõſtrat ea ratio, ꝙ uis, quæ nutrit, munus ſuũ gnauius, & expe= ditius cõſopitis, quàm uigilãtibus nobis abſoluit: nam eo tempore probius & alimur, & corpulenta perfici mus, utpote ut quas actiones nihil adminiculentur ſen ſus.* Ad *hæc* Alexãder Aphrod*iſeus in enarratione de anima ex* Ari*ſtotelis inſtitutiõe, ubi de impulſu, & ui*

impul

impulſoria agit, declarans uirtutem altricẽ à ui ſenſibili ſegregari, ſcripſit hæc uerba, Præter *hæc continẽter, ac momentis ſingulis altrice uirtute fungimur: ſemper enim alimur: & in dormientibus maxime præcipuo munere, atq; actione poteſtas hæc ſeſe exercere uidetur &c.* Eadẽ *ratione, quũ aeris nos ambiẽtis frigiditate colligat ſe ad interiora calor innatus ſibi cõtrarium aufugiens ad cibos conficiendos reddetur ualidior: contra uerò, quũ eiuſdem aeris caliditate ad exteriores partes agatur, ad eorundem ciborum coctionem imbecillior fiet: quod optime* Gal. *in expoſitione* xv. Aphoriſmi *primæ parti. declarauit, ſcribens in hunc modũ,* Cauſam *uerò, ob quã hic idem calor hyeme augeatur, etiã* Ariſtoteles *dixit: refugit enim propter circunſtantem extrinſecus frigiditatem· ſicut rurſus æſtate ad ſibi affinẽ protẽditur: atq; ita contingit, diſſolui quidem, ac diſsipari eius ſubſtantiã tempore æſtiuo, contineri, ac cohiberi, & in profundũ ſecedere hyemali: ob hoc igitur & coctiones, & ſanguificationes, & nutritiones hiſce temporibus ſunt meliores &c.* Sæpiusq́; *repetit eadem expoſitione, tempore hyemali ſpiritum unà cum ſanguine ad profundum corporis retrocedere: quare* Hippocrates *eodem* Aphoriſ. *dixit,* Ventres *hyeme & uere calidiſsimi ſunt natura, & ſomni longiſsimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda.* Præterea *in. ij. de temperamentis, cap. ultimo, declarans* Gal. *ex cute non poſſe eorum totius corporis temperaturam cognoſci, qui ea incolunt loca, quæ ſub urſa, & meridie ſita ſunt,*

aſſerit id contingere, quoniam in his, qui ad urſam habitant, calor ad profunda corporis ab aeris continentis frigiditate fugatur: qui in habitantibus ad meridiẽ extrinſecus ambientis caliditate in cutem attrahitur, & mox ſubijciens eorum temperies, qui minus temperatas habitant regiones, inæquales eſſe, ut pote interioribus, exterioribusq; inter ſe partibus non parum diffrẽtibus, hæc uerba ſubintulit, Gallis enim, & Germanis, & omni Thracio, & Scythico generi, frigida, humidaq; cutis eſt, ideoq; etiã mollis, alba, & pilis nuda, omnis uerò naturalis his calor in uiſcera unà cum ſanguine confugit, ubi dum agitatur, & premitur, & feruet, iracundi, audaces, & præcipites conſilij redd̃utur, Aethiopibus uerò, & Arabibus, omnibus deniq; his, qui ad meridiẽ incolunt, natura cutis exambientis æſtus, & naturali calore foras acto, uſta, dura, ſicca, & nigra redditur, toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem, ſed alieno, atq; additio incaleſcente &c. Idem quoq; colligitur ex Halia b.pri. Prac.ca.ij. & vj. & ex Auer. ſecunda canti. com.xxj. His puto ſatis ſuperq; declaratum eſſe, calorem innatum ut ſomno, ita aeris frigiditate augeri, & ob id ciborum coctiones ualidius agere. Reliquum autem eſt declarare, eundem calorem quiete reddi ad cibos conficiendos ualidiorem, quod optime fiet, ſi prius ex his quædam expoſuero, quæ ab exercitatione proueniũt. Porrò duo præter cætera ab exercitatione proficiſcuntur, ut in ſecundo de tu.ſan. ſcripſit Gal. genuini ſcilicet caloris augmentũ, & ſpiritus uiolentior

motus

motus ad externas uidelicet corporis partes, illa deinde ex his præter cætera conſequuntur, tum ſingulas corporis particulas in corpus deducenda ualidius attrahere, tum ea facilius immutare, tum nutritionem feliciorem effici, tum ſingularum partium excrementa ad expulſionem, necnon & meatus parari, quibus ea ipſa excrementa expelli neceſſe eſt, & deniq; excrementis ipſis corpora purgari. Quæ quũ ita ſint, eo tempore debent corpora exercitari, ut inquit Gal. ſecundo de tu. ſa. ſæpe allegato, quo uentriculus, & uaſa crudis, incoctisq; cibis, aut ſuccis omnino uacua ſunt, & urina, atq; alui excrementa ſunt depoſita, ſic enim periculum non eſt, quum (ut dictũ eſt) exercitatio diſtributionẽ in corpus operetur, ut cruda, incoctaq; prius quàm probe confecta ſint, aut aliquid ex dictis excrementis ui caloris per exercitationẽ aucti in omnes corporis partes rapiãtur, quare Gal. iij. de tu. ſan. poſt uenerem eam ſcripſit exercitationis ſpeciem, quã præparatoriam uocant, poſt uigilias autem, uel triſtitiam, uel ambas, quæ apotherapia dicitur, idoneã eſſe, ſi tamen cruditas abſit: nam, ſi qua cruditas ſubeſt, inquit omnino nõ eſſe exercitandum. Ex ijs itaq; conſtat tempus ad exercitationẽ idoneum eſſe, ut docet Gal. in. ij. de tu. ſan. quum cibus ingeſtus, tum in uentriculo, tum in hepate iam prorſus confectus eſt, quæ uero fit in uenis, coctio agitur, & iam tempus inſtat, ut nouum alimentum ſuſcipiatur, conſtat quoq; caloris augmentũ, quod exercitatione acquiritur, dum ipſa fit exercitatio, non illis coctionibus cõferre, quæ in uentriculo, ac

hepate perficiuntur uerum potius ijs maxime officere: quandoquidem eo caloris augmento fiat illorum ualidior ad extimas partes attractio, quæ in intimis partibus continentur: atq; calor naturalis, ut in æſtiuo tempore, ita, dum corpora exercitantur, foras agatur. Melius igitur uentriculus, & iecur alimenta conficiunt, quum homo ab exercitationibus uacat: quod utiq; declarare ſtatueram. Huic ſententiæ Raſis in.iiij.ad Alman.cap.ij.Haliab.primo prac.cap.iij. Auic.iij. primi doc.ij.ca.iij.& vij. Auer.vj.col.ca.ij.& prima cãti.commen.cxliiij.& ij.canti.commen. xx.adſtipulantur. Puto equidem hactenus me ſatis manifeſte aperuiſſe, ſecundã cibationem nõ eſſe exhibendã, niſi prior tota confecta ſit, nec uentriculum diu ieiunare cogendũ eſſe. Præterea ſumendi cibi quãtitatẽ, nec maiorẽ, nec minorẽ eſſe oportere, quàm calor poſſit peruincere. Inſuper & ſomno, & aeris frigiditate calorem naturalẽ augeri, & ob id cibos melius concoqui: cõtra uerò fieri in uigilia, & aeris caliditate. Demũ exercitationẽ in corpus deductionẽ iuuare: his autẽ quæ in uentriculo, & hepate fiunt coctionibus officere: quæ omnia, licet hoc loco tanquàm hipotheſes ſint accipienda, nõ tamẽ inutile fuit clariora reddidiſſe, ac oſtẽdiſſe à præcipuis medicis eſſe conceſſa: quædam enim principia ſunt quæ aliquã declaratiouẽ deſiderãt. Ex his modo ſic declaratis facile eſt colligere, plus in cœna quàm in prandio comedendum eſſe. Quippe, quũ tempus quod à prandio ad cœnam protenditur, octo quidem, aut ad ſummum nouem contineat horas: quod uerò à cœna ad pran

ad prandium producitur, ex quindecim aut ſexdecim conſtet: ab eis quærere oportet, qui arbitrantur plus in prandio quàm in cœna eſſe exhibendum: nunquid, quum iam cœnandi tempus eſt, nutrimentum in prandio ſumptum mature ſit concoctum, necne: ſi enim id affirmauerint: igitur eos fateri neceſſe eſt, cibum in cœna exhibitum, quũ tenuior ſit, quàm qui in prãdio ingeſtus eſt, breuiori tempore confectum iri: quare uentriculus diu ieiunus manere, maliſq; humoribus opplериcogetur; quod eſſe ualde noxiũ, in primo aſſumpto ſuperius oſtenſum eſt. Si uerò id negauerint, utiq; uerũ reſponderint, neq; enim tam anguſto temporis ſpacio poteſt in uẽtriculo cibus confici, apponi, uniri, & aſsimilari: in epate uerò concoqui alimentum, apponi, ac uniri: in totum autẽ corpus deduci, ac illi nutrimentũ apponi: quare ſecũdus ſumetur cibus, antequàm prior ſit perfecte concoctus. quod nõ parũ officere, in eodẽ primo aſſumpto ſimiliter declaratũ eſt. Præterea, quũ in nocte naturalis calor, & ſomno, & aeris frigiditate (nocturnus enim aer frigidior eſt, quàm diurnus) fortior ſit, poßitq; ualidius naturales functiones obire: cõtra uerò in die: necnon & alimenti quantitas, nec maior, nec minor eſſe debeat, quàm quod ipſe calor poteſt probe concoquere, ut in ſuperioribus patuit: igitur nemo inficias ire poterit, plus cœnandũ, quàm prãdendum. Inſuper quũ qui liberã uitã degunt, ac illius artis quæ optimã tuendæ ualitudinis rationem docet, præceptis parere ualẽt: in die & exercitationes, & illa quæ cũ exercitatione affinitatẽ habent, quæq; ſibi

peritus artifex præcipit, adire ſoliti ſint, necnõ & maxima pars hominũ implicitam negotijs uitam agẽs, ſiue inopia, ſiue ea ſeruitute, quæ ambitionis, aut cuiuſuis cupiditatis gratia uolũtaria eſt, ſiue ea, quæ coacta eſt, quã ſolam ſeruitutem uulgus appellat: præter ea, quæ dicta ſunt, in die ſolita quoq; munia, & aliquando inſueta obeant, nocte uerò quieſcant, ubi maius quidem prandium, minorem autem cœnã ingeſſerint, neſcio, qua ratione ea incõmoda euitare poterunt, quæ quidem his, qui ſe exercent, antequam alimentũ in uentriculo, & hepate cõfectum ſit, euenire ſuperius explicatũ eſt. Ex ijs itaq; patere arbitror, rationabile eſſe, tum quia longius tempus cœna, quàm prãdiũ excipit, tum quia in nocte cõtinens frigidius eſt, & omnes fere dormire, ac quieſcere conſueſcunt, ut tũ plures, tũ ualentiores cibi in cœna magis quàm in prandio adminiſtrẽtur. Quibus de cauſis ſcripſit Gal. vij. Meth. med. cap. vj. his, qui renutriuntur reficiunturq; ualẽtiores cibos in cœna maxime offerendos eſſe, quem uſum, ait, athletas nõ ratione tantũ inueniſſe, ſed etiã longa experientia comprobaſſe. Hanc utiq; ſententiã ea cõprobant, quæ in primo de ratione uictus in morbis acutis tex. xxv. Hippo. ſcribit, docens enim eorum uictus rationem, quibus morbi iudicatio facta eſt, ſorbitionem, inquit, matutino quidẽ tẽpore exhibe, ueſpere autẽ ad alios etiamnum cibos tranſire poteris. Et in tertio de ratione uictus, ubi, qui uictus in ſingulis quatuor anni temporibus conueniat, declarat, præcipit hyeme oportere ſemel comedere, niſi quis ualde ſiccum uentrem

habeat

habeat, ſi minus modicum prandere, quam uictus rationem ait, ſeruandam eſſe à Vergiliarum occaſu, uſq; ad id tempus, quo fauonius flare cœperit, quod tẽpus ex diebus quadraginta ante hyemale ſolſtitiũ, & alijs quadraginta poſt idem ſolſtitium conſtat, à quo tempore ad uernale æquinoctium uſq;, quod tempus ſeptẽ & quadraginta dies continet, cum tempore eſt uariãda uictus ratio. Ab hoc autem æquinoctio uſq; ad uergiliarum ortum, quo æſtas incipit, toto eo tempore in ſex partes diuiſo, quarum ſingulæ octo continẽt dies, mutationis uictus rationem docens iubet, ut eo quoq; tempore modicum prandeatur, quod præceptum ab ortu uergiliarum uſq; ad æſtiuum ſolſtitiũ, & ab hoc ad Arcturi ortum, & æquinòctium uſq; uictum inſtituens reperit. Ab arcturi autem ortu ad uergiliarum uſq; occaſum iubet ab æſtiuo quidem uictu recedentes, accedentes autem ad hybernum, ſenſim uictus rationem mutare, ut ſic ſine noxa ad hybernum uictum deducti poſt uergiliarum occaſum eo libere uti poſſint. Celſus item primo libro de re medica, cap. tertio, declarans ad rectam uictus rationem inſtituendam tempus anni conſiderari oportere, ſcripſit. Si prandet aliquis, utilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum, ſine carne, ſine potione ſumere. Et paulo infra loquens de æſtatis uictu ita inquit, Aeſtate uerò & potione, & cibo corpus ſæpius eget, ideo prãdere quoq; cõmodum eſt. quum igitur Celſus æſtate ut ſæpius, ita exiguo cibo utendũ eſſe cenſeat, & ob id prandere iubeat, quod tamen hyeme nõ concedit, niſi nimis uenter

aſtrictus eſt: minus igitur æſtate prãdendũ eſſe, quàm cœnandũ, ipſum uoluiſſe manifeſtũ eſt, quare conſtat Celſum ſentẽtiæ paulo ſuperius recitatæ adſtipulari. Raſis quoq; in .iiij. ad Almã. cap. iiij. horas ad comedẽdum idoneas eſſe ſcripſit, quũ unuſquiſq; ingeſto cibo & quieti, & ſomno indulgere poteſt, quod quidẽ ex Auic. iij. primi, doc. ij. cap. vij. & .ij. canti. & eodẽ in loco ex Auer. colligitur. Et xiij. tertij, trac. iij. cap. j. Auic. de nocumentis agens, quæ à mala ciborũ coctione proueniunt, ſcripſit in hunc modũ, Et quod ſequitur ea de iudicijs cibi in hoc eſt, quod cibus indiget quiete, & ſomno, uſq; quò bona fiat digeſtio, & quãdo ſunt loco ambarũ motus, & uigiliæ non completur digeſtio &c. Inſuper author libri de diſſo. contin. ca. primo. & Haliabas primo prac. cap. xiij. aiunt cœnã eſſe prandio laudabiliorem, eamq; antiquos prandio anteposuiſſe. Sic itaq; cenſeo, tum rationibus, tum authoritatibus ſatis manifeſte expoſitũ, ſatius eſſe plus in cœna, quàm in prãdio ſumere, qui erat ueluti ſcopus eorũ omniũ, quæ hactenus ſcripta ſunt. Verũ quoniam in principio nonnullos excipiendos eſſe dicebã, Igitur non ignorare oportet, illos in primis eſſe excipiendos, qui uberius quidem prandere, parcius autem cœnare inſueuerunt, quod hac noſtra tempeſtate, non uulgares modo, ſed etiam medicorum plurimi faciunt. Quippe tales, quoad prauam illam aſſuetudinem ſeruare, aut uoluerint, aut coacti fuerint, ſatius eſt mane plus, ueſpere autẽ minus eſſe. Etenim dixit Hippocrates. ij. parti. Aphoriſ. l. Quæ ex longo tempore conſueta

ſueta ſunt,& ſi deteriora ſunt: inſuetis minus moleſtare ſolent,& in ſecundo lib. de ratione uic. in morbis acu.longo proceſſu declarauit, longe melius eſſe, non ſolum ſanis,ſed etiam ægris uitioſam uictus rationem ſeruari, quàm illam ſubito uel in meliorem mutari. Sed malas conſuetudines ſenſim mutari utilius eſſe, ſcripſit Gal.in v. de tu. ſan. Et Raſis in iiij. ad Alman.cap.x.& Haliab.primo prac. cap. xiij. quas tamen non omnibus mutandas eſſe, ſenſit Galenus eodem v.de tu.ſan. Vbi conſulit ſenes conſuetis operibus exercitari,etiam ſi modice noxia ſint, contrà iuuenes noxia etiam à pueris conſueta mutare, quandoquidem ualidæ iuuenum uires moderatam mutationẽ ferre poſſunt,ac eos ſperari poteſt uitæ reliquum ex meliore conſuetudine fructuoſius ducturos, quod ſenibus non continget,etiam ſi longo tempore malam aſſuetudinem pedetentim mutare poſſent: quippe quibus nihil temporis relinqueretur, quo meliore fruerẽtur conſuetudine:nõ aliter quàm ſi quis octogenarius cuipiam arti ſe accingeret perdiſcendæ. Non etiam quandocunque malas conſuetudines in meliores uertere,tentandum eſſe,ſcripſit Gal. in eodem v. de ſa. tu.inquiens,aſſuetudines ipſas,tametſi prauæ ſunt,diſplicentibus adhuc ſibi corporibus mutandas nõ eſſe: quin nec per ſummam ſanitatem ſemper id tentandũ, ſed tum,quum is,cui mutandæ ſunt, à ciuilibus negotijs maxime uacat.Illi quoque excipiendi ſunt,qui forte ad talia negotia ſunt delegati, uel ipſi ea ſibi ſpõte delegerunt,ut nocte quidem uigilent, & ſe exerceãt,

die uero quieſcant, & dormiant. Tales enim quum cõtrariam alijs uitam agant, contrariam quoque uictus rationem ſeruare fas eſt: quare Raſis in vj. ad Alman. cap. xj. de regimine iter agentium loquens ſcripſit in hunc modum, Quòd ſi in nocte neceſſe fuerit ipſum incedere, non erit ei cœnandum, ſed ſuæ comeſtionis integritatem uſque in tẽpus, in quo ſe diu poſſe quieſcere ſciuerit, intermittat. Excipiantur hi quoq;, qui aliqua periodica ægritudine premuntur, quæ nocte ſuas habet acceßiones: etenim utilius eſſe plus cœnare quàm prandere illo tempore acceßiones non permittunt, quando opus eſt in acceßionibus abſtinere: cibũ enim dare nocuum eſt, ut Hippocrates, & Gal. prima parti. aphoriſ. xj. & in primo de ratione uic. in mor. acut. xlv. ſcripſerunt: Vtq; ſenſere Celſus in iij. lib. de re med. Auic. pri. iiij. trac. ij. cap. viij. Haliab. iij. prac. cap. xj. Raſis x. ad alman. cap. iiij. & v. & Auer. vij. col. cap. x. Qua uero ratione hi cibandi ſint, qui huiuſmodi ægritudinibus ſunt affecti, ex dictis autoribus locis allegatis poteſt perdiſci: præterea ex Gale. xj. meth. Med. cap. v. & xxj. His itaque exceptis cenſeo ex his, quæ dicta ſunt, facile comprobari, ut reliqui omnes, ſiue ſani, ſiue ægri ſint, parum quidẽ prandeant, plus autem cœnent, quod oſtendere in principio policitus ſum.

Liber

LIBER SECVNDVS.

QVONIAM, *ut in primo de ſimp. med. facul. ca. ulti. dixit* Gal. *diſcere cupientibus opus eſt, non ſolũ optima diſcenda proponere, ſed etiã falſas opiniones ex eorũ animis delere, quæ ueras inhærere prohibent. Quippe, ſicut non pura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lædes, ut in ſecunda parti.* Aph. Apho. x. *dixit* Hippocrates, *ita quoque non puros animos, quanto plus ueris opinionibus nutrire tentes, tãto pertinaciores reddas.* Igitur *cum in priori uolumine, plus in cœna, quàm in prandio ſecundum ueram antiquorum ſententiã ſumẽdum eſſe, ſatis (ut mea fert opinio) demonſtratũ ſit, putaui non inutile fore, ſi hoc uolumine obiectiones diluere, quæ aduerſus eam opinionem adducuntur, necnon & illorum errata oſtendere conatus fuero, qui poſteris non modicam delinquendi dederũt occaſionẽ.* Ab *his autem auſpicabimur, in quibus arbitror* Petrũ Appo*nẽſem cognomẽto cõciliatorẽ differẽtia cxxj. nõ parũ aberraſſe: tametſi* Hippocratẽ, & Gal. *atq; alios antiquos ſectari conatus eſt.* In *primis autẽ, quũ de agricolis ſcripſit, & aſſiduo labore uictũ quærentibus, errauit cõciliator ſcribẽs melius eſſe plus eos in prãdio, q̃ in cœna ſumere: quũ enim cogãtur poſt prandiũ tota die uehemẽtes labores ſubire, neſcio qua ratione euitare poterũt, ut cibus, anteq̃ probe ſit cõcoctus, in totius corporis habitũ nõ rapiatur, ut priori uolumine*

de Gal. & aliorum ſententia oſtenſum eſt. Nec ualet quorundam reſponſio, qui conciliatorem defendere nituntur, ij ſiquidē fortaſſe Auic. moti autoritate in prima canti. tex. cxlv. ſcribentis, Immoderatū ex eo proprie dicitur labor, qui quidem ſpiritum euacuat, & educit, & emacrat pingues, & carnoſos &c. aiūt aſ̄i duos prædictorum labores non exercitationis, ſed operis potius, uel laboris appellationem mereri. Sed hæc puto non dixiſſent, ſi Gal. legiſſent in ſecundo de ſan. tu. de exercitationis, laboris & motus differentia ſic ſcribentem, A laboribus uerò ordiendum, illo ante omnia diſcuſſo, an idē ſit labor, motus, & exercitatio, an labor, & motus idem, aliud uero ab ijs exercitatio, an motus res diuerſa, labor & exercitatio neutiquam differant. Ac mihi quidem non quiuis motus exercitatio uidetur, ſed tantum ſi quis uehemētior eſt: quoniā autem eorum, quæ ad aliquid dicuntur, eſt quod uehementius dicitur: fieri poteſt, ut idem motus alteri ſit exercitatio, alteri non ſit: terminus igitur uehemētiæ eſto anhelitus alteratio, quādo in quibus nulla fit anhelitus mutatio, hos nondum exercitationes uocamus, quòd ſi quis maius, celerius'ue, aut crebrius iā ex motu aliquo reſpirare cogitur, huic certe tantus motus exercitatio fuerit. Ea igitur communiter exercitatio uocatur, proprie uerò à loco Græce denominatur, quē gymnaſion ipſi appellāt. Is locus eſt in publica aliqua urbis regione extructus, quo ungendi, fricandi, luctaturi, diſcum iacturi, aut tale quippiam facturi confluunt: laboris appellatio idē mihi ſignificare uidetur

cum

cum priore ſignificatione nominis gymnaſij,ſiue exercitationis,nempe cõmuni illo,quod prædiximus,quippe cum & qui fodiunt,& qui metunt,& qui equitãt non laborent modo,ſed etiam exercitentur, communi ſaltem exercitationis appellatione. Et de nominibus quidem ita nobis determinatum ſit,atq; ad hæc ſignificata omnis mihi deinceps ſermo inaudiatur &c. Quanquam enim aßidui illi labores,opera, & labores appellantur,non tamen exercitationis nuncupationem amittũt ut ex Gal. uerbis iam dictis facile cõſtat. Præterea nõ etiam ſola uocabuli mutatio poterit eos ab incommodis,quæ exercitationem ſequũtur,abſolutos reddere,ut ij credere uiſi ſunt,quinimò,quãto ualentior exercitatio eſt,tanto ualentiorem deductionẽ in corpus operatur,quod quidem ex priori uolumine eſt ita manifeſtum,ut nulla declaratione indigeat.Similiter manifeſtum eſt, quòd quum aßiduo labore calor foras agatur,non poterunt ij cibum ingeſtũ probe conficere,quod in ſomno ijs maxime fieri in primo de ali.facul.cap.ij.ſcripſit Gal.in hunc modũ, Quoniam autem maximæ parti eorum,qui laborãt, ſomni profundiores fiunt, hoc etiam ipſis multum ad coctiones confert,& propter hoc à prauis edulijs minus læduntur,ſi autem cogas ipſos uigilare pluribus continuis noctibus:mox ægrotabunt &c. Auic. quoque in tertia primi,doc.ſecũda, cap.vij.ita ſcripſit,Exercitati præterea,& multi laboris magis ſunt tolerantes nutrientia groſſa,quos forſitan,in digerendo iuuat fortis ſomnus, & quia in ipſo fiunt profundi. Et paucis

interpoſitis ſubdit, Et proprie quia ſunt confidẽtes in digeſtiua ſua, quod ex ſua habẽt dormitione, quod deſtruitur, quũ eis frequentes accidunt uigiliæ &c. Sic itaq; ſatis conſtat, illorũ defenſionẽ nullã eſſe. Nõnulli præterea nõ defuere, qui conati conciliatorẽ tutari dixerũt, Gal. in ij. de ſa. tu. de ea exercitatione tractaſſe, quæ optimo cõgruit corpori, quæq; de illa enũciauit, non ei exercitationi cõuenire, quæ lapſi corporis eſt. Ad horum autẽ cõfutationem ſatis erit, quædam Gal. uerba in medium afferre, quæ in eodẽ ij. de ſa. tu. conſcripta ſunt. Quippe, quũ eo in loco Gal. oſtendiſſet, quo tẽpore corpora ſint exercitanda, præparatoriãq; frictionem debere exercitationẽ præcedere, & multa de frictione ſcripſiſſet aduerſus Theonem Hippocratem defendens, talia ſubintulit, Hæc igitur omnia deficientibus ab optimo ſtatibus cõmunia ſunt, de quibus agere nondum ſtatuimus &c. His itaq; dimiſsis, quum ex ſuperioribus ſatis conſtet, horum defenſionẽ ſatis inſulſam eſſe: oſtẽdamus, quas cõciliator rationes adducit, nullius eſſe roboris, quo peracto ſatis erit manifeſtum, melius eſſe agricolis plus in cœna, quàm in prãdio aſſumere. In primis enim quadam Auic. autoritate conciliator nicitur iij. primi, doc. ij. cap. vij. ubi, quum declaraſſet Auic. ciborum diuerſitatem dupliciter officere, eiuſmodi ſubiecit, In tempore quoq; antiquo qui exercitabantur, iam fugerũt ab hoc: cõtenti enim erãt ſolius carnis comeſtione in mane, & ſolius panis in cœna &c. Quem Auicẽ. locũ deprauatũ eſſe cenſeo, quandoquidem falſum eſt, antiquos ſe exercere

ſolitos

ſolitos eā uictus rationē ſeruaſſe, cuius meminiſſe putatur Auic. eius autem indicium eſt, quòd Gal. in primo de ratione uic. in mor. acut. cōm. xviij. quū declarauit ciborum uarietatem, & præſertim ubi ex uarijs uirtutibus componantur, maximā læſionē parere, oppoſitum in hunc modū ſcripſit, Hoc etiā qui exercentur, qui'ue inuicem certant, maxime obſeruāt, nam in prandio ſolū panē comedūt, in cœna uero carnē &c. Neq; iure dici poſſe uidetur, Gal. & Auicen. alia, & alia ratione de his, qui ſe exercent, diuerſa locutos fuiſſe, quum nullibi lectum ſit Gal. ſcripſiſſe, quempiā aſſuetum ſe exercitationibus tradere. mane quidem ſolam carnem, ueſpere autem ſolum panem ingerere cōſueuiſſe, neq; etiam quempiam aliū aut ante, aut poſt Gal. tempora, qui alicuius fuerit autoritatis, hoc unquam dixiſſe, cuilibet aperte conſtabit omnia eorum uolumina perlegenti: non enim careret admiratione, ſi id eſſet, quod Auic. dixiſſe uidetur, ut à nullo (ipſo excepto) illud fuiſſet monumentis mandatum, præſertim quum, quicquid Auic. ſcripſerit, ex alijs autoribus, & Gal. in primis ſumpſerit. Adde quòd eius rei oppoſitum non ſolum Galen. loco adducto autumat, ſed etiam Auic. aperte eodē præcipit capite ſcribēs, ut coacti ante exercitationem comedere, panem ſolum tanta quantitate ingerant, quanta confici poßit, prius quàm ſe exercere incipiant. Puto igitur Auic. ex Gal. eā ſententiā accepiſſe, quare locū illū Auic. nō eſſe ita legendū, ut iacet, ſed ubi panis legitur, carnis, ubi uero carnis, panis eſſe reſtituendū. Sed cōcedatur

locum, ut iacet, legi oportere: quid tũ? neq; enim eam uiuendi rationem laudauit Auic. ſed tantũ dixiſſe uidetur, qui ſe exercitant, eo uiuendi modo duplicẽ noxam uitare, quæ ex ciborum uarietate proficiſcitur. Ex his itaq; patet, illam Auic. autoritatem cõciliatori nullo modo opitulari. Neq; etiam difficile eſt rationẽ ſoluere, qua conciliator eius opinionem ſtabilem reddere conatus eſt, ea autem eſt eiuſmodi, Qui exercitãtur, aliquo indigent reſolutionẽ, atq; membrorũ exiccationem prohibente, id autem cibo cõmodius efficietur: quando & membra humidiora, & exiccantis caloris uim cõtraria qualitate imbecilliorẽ reddet. Alimentũ enim, ut in ij. de anima ex Ariſto. colligitur, in principio eſt corpori contrariũ, licet in fine caloris actiõe eidẽ corpori ſimile efficiatur: ut igitur hæc fieri poßint, plus prãdere, q̃ cœnare oportebit. hæc eſt cõciliatoris ratio. Ex quo quidẽ quærendũ eſt, nunq̃d opinetur partẽ illã alimenti totũ corpus humectare, quæ per totũ ipſum ferri corpus ante ipſius alimenti coctionẽ ſcripſit Gal. iij. uir. na. ca. xiij. an potius, quũ ea parua ſit, incocti alimẽti quantitatẽ affatim (ut id efficiatur) in totius corporis habitum rapi. Quòd ſi hoc ſecundũ cõceſſerit (id enim euenire ſcripſit Gal. in j. de alim. facul. ca. ij. in hunc modũ, Nã uacuæ uenæ non tantũ ſemicoctũ ſuccũ, uerũ etiã omnino rudẽ, & incoctũ uẽtriculo nõnunquã præripiũt, cũ à cibo ſtatim laboratur) utiq; ea de cauſa illi tandẽ grauißimis morbis corripiẽtur, raroq́; ad iuſtã ſenectutẽ perducẽtur, ut ſcripſit Gal. eodẽ in loco. Et Aui. iij. primi, doc. ij. cap.

ij.cap.vij.Si uerò paruã illam alimenti portionem, de qua ſuperius ſermo habitus eſt, corpus humectum red dere, conciliator reſponderit, Quippe, quum illa parua ſit, & euaporabilis, cito reſoluetur, quare corporis particulæ ſicciores redditæ ex eo, quod alimenti reliquum eſt, priuſquàm mature concoquatur, tandem aliquid præripient, quare nõ minus illa ſubibunt incõmoda, de quibus pauloante dicebatur. Vnde Haliabas primo prac.cap.iij. his, qui poſt cibũ continuo exercitantur, è uentriculo cibũ ad inteſtina ante perfectam eius decoctionem deſcendere, & illas uenas, quas inteſtina, & hepar intercipiunt obſtruere aſſeuerauit: ꝗ ſi exercitatio, inquit, modũ excedet, quando eius eſt exiguos corporis meatus purgare, & excrementa expellere, mẽbrorũ aliquid ſimul excludet, quare membra diſſipati loco aliquid reponere tentãtia à uenis ſuccũ trahẽt, quæ inanitæ & ipſæ ab hepate, & hepar nõ diſſimili ratione à porta uena, & hæc à laxiori inteſtino, hoc uerò à uentriculo cõuellere neceſſe erit, qui quum crudus ſit, & inconcoctus, nec aptus per uenas defluere, intra uenas raptus, congeſtusq́; eas ipſas uenas obſtruet, indeq́; difficiles, & peſſimæ ægritudines ſubſequentur. Quod ſi Gal. loco ſuperius allegato, & Raſim in. iiij. ad Almã.ca.iiij. & Haliab. primo prac.ca. vj. & Auic. loco ſuperius adducto conciliator perlegiſſet, his, qui uehementibus operibus exercitãtur, alimenta cõgruere craſſa, & glutinoſa dignouiſſet, quæ nec facile corruptibilia ſint, nec euaporabilia, qualis eſt ſuilla caro, quam Gal. vj. de tu.ſa. dixit uehemens

exercitium deſiderare, nam ex eiuſmodi alimentis ſucci geniti non facile, quam ij exercitantur, per uapores difflare poſſunt, quæ alimenta exhibenda ſunt, quũ ij & quieti, & ſomno poſthabitis operibus indulgere ualent: ſic enim & reſolutioni, quoad fieri poteſt, & his nocumentis occurrimus, quæ pleno uētriculo exercitatis contingere diximus. Quod ſi caloris ui cogeremur ipſis agricolis aliquid exhibere, ea de cauſa ſatius eſſet frigidum potum eos ingerere, quare Raſis iiij. ad Almā. cap. v. iubet, ut à uehementi motu frigida non confertim, ſed paulatim bibatur. Conſtat igitur eā conciliatoris rationē nullius eſſe roboris. Illorum autē conſuetudinē fateor nō parũ conducere ad ciborũ concoctionē, id ſiquidem Gal. quoq; fatetur primo de Alimen. facul. cap. ij. ſuperius citato. Et nos in priori uolumine aſſuetudines ſeruādas eſſe ſcripſimus, quas tamē, in quibus id fieri liceat, ſenſim mutandas eſſe, eodē in loco definitũ eſt. Nec minorem cōciliator reprehenſionem meretur his, qui meſſorum robur extollebāt, quorum meminit Gal. in primo de Alimē. facul. adducto. Enumeratis enim illis nocumentis, de quibus in ſuperioribus ſermo habitus eſt, quæ tandem eos ſubire contingit, talia adiecit uerba, Atque hæc uulgus ignorans beatos illos de corporis robore prædicat, quum ea & eſſe, & concoquere cernat, quæ nemo noſtrum nec deuorare quidem poſsit, nedum concoquere &c. Ex his diſcat conciliator, quantum illi experiētiæ, de qua memini, confidendum ſit. Patet igitur nec Auicen. autoritate, nec ratione, nec experientia poſſe conciliatorem

rem oſtendere, melius eſſe meſſores plus in prandio, quàm in cœna ſuſcipere. Errat quoq; conciliator eis aſſerens, qui implicitam negotijs uitam agunt, utilius eſſe parcius quidem cœnare, uberius autem prandere, quum ſolitis duntaxat laboribus exercitantur. Ex his enim quæ in libro priori ſcripſimus, unicuiq; ita facile eſt huius falſitatem agnoſcere, ut ab eius declaratione citra reprehenſionem me poßim abſtinere. Verum id conciliator oſtendere conabatur, inquiens huiuſmodi corpora non carere ſuperfluitatibus concoquendis, nec ualidam habere uirtutem, quæ quum in ſomno ualidior ſit calore ad interiora ſe colligente, ſatius erit eam permittere cruditatum coctionibus uacare, & ſuperfluitates ad expulſionem parare, quàm eam diſtrahere ad cibos nouiter aſſumptos conficiendos: neque enim tanta eſt eius uis, ut utrunq; cōmode perficere poßit. Rurſus, quum hæc uirtus ſolis calore, ac lumine robur acquirat, melius in die poterit cibos conficere, quare plus in prandio, quàm in cœna his ſumendū eſt. Sed hanc rationem nullius eſſe roboris facile eſt declarare. Quippe, quum ſuperfluitatū decoctio, & ciborū confectio oppoſitis ipſius caloris motibus, ut probe efficiantur, non indigeant, quod naturalibus, animalibusq; operationibus euenire, in priori uolumine dictum eſt: igitur ſi calor naturalis in ſomno robur acquirens ſuperfluitates melius concoquet, ſimiliter & cibos melius conficiet. Eodem pariter modo, ſi calor innatus in die ſolis calore fortior redditus cibos melius conficiet, ſuperfluitates quoque melius

concoquet. Verum ut ex his, quæ in priori libro dicta ſunt, facile colligi poteſt, calor ad interiora coactus melius, tum ſuperfluitates, tum cibos concoquet, contra uerò ad extimas partes attractus nullum illorũ perficiet, quare non eſt opus illos in die liberalius prandere, ut cibi melius conficiantur. Sed forte dicet quis, ut etiam conciliator innuit, calori eſſe peculiare, in ſomno quidem ſuperfluitatũ coctionẽ, in uigilijs autẽ ciborum cõfectionẽ magis appetere. Cui quidẽ fateri quoq; neceſſe erit, cũ ipſum calorẽ non agens eſſe naturale, ſed animal potius ratione, & intellectu præditum, quod habeat facultatẽ eligendi, quod melius eſt, quod tamẽ eos, qui Gal. ſectantur, fateri nõ decet: hac enim ratione Gal. in. iij. de pot. natu. cap. xiij. ſcripſit, uentriculũ cibos cõficere, nõ ut eos alijs mẽbris aptos efficiat, ſed ut eis perfruatur, ac eorũ humiditatibus ſaturetur. de hoc enim dictũ quoq; eſt in principio prioris libri. Quod ſi cõciliator cõtẽdet, ea poſſe calorem efficere ope illius intelligentiæ non errantis, ad quã recẽtiorũ plurimi, tanquàm ad numẽ aliquod ingruente tempeſtate confugiũt, nõ utiq; cõuinceret, quod Gal. de uentriculo ſcripſiſſe diximus: Quippe, ſi ad illã intelligentiã ita facilis pateret aditus, ut recẽtiores commenti ſunt, poſſet unuſquiſq; Gal. facile reſpondere, uentriculũ ab ea ductum intelligentia amplecti cibos, ac eos concoquere, nõ tantũ ut eis fruatur, ſed etiã ut eos alijs mẽbris aptos efficiat, quare Gal. ratio non neceſſario concluderet, uentriculum animal eſſe, ubi cibos complecteretur, ut eos alijs mẽbris aptos efficeret.

Inſuper ex priori libro manifeſtum eſt, omnes in medicina præcipuos uno ore affirmare, naturã prouidentiã habere, ut calor uigilijs ſiccior redditus quàm par eſt, ad interna ſe colligat, ut cibi melius conficiãtur, à quibus conueniẽtẽ ſibi humiditatẽ, necnon & uires calor reſumẽs, deinde ad extimas partes motus animales functiones ualide poſſit obire, quos tamen uiros aut nunquàm, aut perquàm raro ſcripſiſſe quis inueniet, calorẽ ad intima cogi, ut ſuperfluitates melius cõcoquantur. Præterea falſo Cõciliatorẽ aſſumpſiſſe naturalem uim ſolis calore, ac lumine augeri, & ob id cibos melius cõficere, is facile intelliget, qui priorẽ librũ perlegerit, ibi enim oſtenſum eſt, naturalẽ calorẽ nos continẽtis frigiditate augeri, & eiuſdẽ caliditate debilitari, quod nimirũ cõtinẽs nõ niſi, aut ſole ad nos accedẽte, aut eodẽ à nobis recedẽte calidũ, frigidũ'ue eſt. Siquis aũt pro Cõciliatore dixerit, calorẽ naturalẽ à ſolis caliditate augeri, quæ nõ tam ualida eſt, ut calorẽ naturalẽ diſſoluat, Is nõ ignoret, id nõ poſſe nec ꝑ cõciliatore, nec ꝑ ueritate defendi. Enimuero nulla diſtinctione præmiſſa id aſſumptũ tãquàm uniuerſaliter uerũ protulit cõciliator, quare de calidiore aeris cõſtitutione, ſub qua ea quoq; cõtinetur, quæ æſtatis eſt, loquẽs cõciliator dixit, eſſe uberius prandendũ. Accedit ad hoc uoluiſſe conciliatorẽ, diem æſtati, noctem uerò hyemi proportione reſpondere, quo fit, ut, quũ æſtas hyemis cõparatione naturalẽ uirtutẽ magis diſsipet, ita quoq; & dies noctis cõparatione eandẽ magis diſſoluet. Sed concedatur conciliatori, animantis calorẽ in die red-

di fortiorem:nihil enim id ciborum coctioni cõducet, ſed his potius operibus, quæ ſenſibus,atq; motu perficiũtur, quãdo coctiones debiliores quidẽ caloris motu ad exteriora,quod in die contingit,fiant uerò meliores eodem calore ad intimas corporis partes ſedente, quod in nocte fieri ex his conſtat, quæ in priori uolumine ſcripta ſunt. Sed dicet forte quiſpiam alius pro conciliatore, Robuſta habẽtes corpora in die,ac æſtate magis debilitari, in ſomno autem,& hyeme pro ciborum confectione fieri ualidiores, atq; hoc Gal.& alios autores uoluiſſe. Verum in his, quorum corpora imbecillia ſunt, contra fieri, & hoc Conciliatorem ſenſiſſe. At hoc refellere non eſt difficile. Gal. enim in expoſitione.xv. Aphoriſ. pri. parti. percipiens Aphoriſ. Ventres hyeme, & uere calidiſsimi ſunt natura,& ſomni lõgiſsimi, quare per ea tẽpora alimẽta copioſiora ſunt exhibẽda &c. nõ eſſe uniuerſaliter uerũ, ex eo tantũ animalia excepit in latibulis degentia, ita ſcribens, Quæ igitur per Aphoriſ. dicuntur, ſufficienter expoſuimus, ſi quis uerò de ipſis ueritatem diligẽtius examinet, non ad omnia animalia ſermonem extẽdat, ſed ea excipiat, quæ in latibulis degunt, hæc enim quũ ſe recondunt, non egent plurimo alimẽto, ſiquidẽ & ſine cibo poſſunt perdurare, & ſi ſuppoſuerimus, ea tãto uti cibo, quãto antequàm recõderentur, male ipſum concoquerẽt. &c. Ex quibus uerbis facile cõſtat, Gal. ſenſiſſe, Aphoriſ. ſentẽtiã in pluribus uerã eſſe, in paucis autẽ non uerã, quũ ea tantũ animalia excipiantur, quæ in latibulis ſe recondunt, & ſi qua alia eis ſimilia

ſunt. Inſuper quum omnes autores, ut in ſuperiori uolumine patuit, autument, frigidum tempus eſſe ad ſumendum cibum idoneū, non utiq; ita abſolute pronunciaſſent id quod raro euenit. Verū Conciliator loquēs de frigida aeris conſtitutione dixit, ꝙ quū in pluribus luce diurna (ut eius more loquar) cōfortetur digeſtio, oportet prādiū ſuper cœnā magnificare. Rurſus paulo inferius ita ſcripſit, Sic itaq; appareat diuerſitas aſſumptionis quātitatis alimenti ex pluribus intentionibus ſuſcepta, & ꝙ melius tandē, quū plures ægritudinum ſint materiales, & quoniā plurima etiā corpora ſunt lapſa, maiorandū fore prandiū ſupra cœnam. &c. Quare, quū id Cōciliator affirmauerit ut plurimum reperiri, quod Gal. & alij raro contingere autumant, qui poterit ab eius fautoribus defendi? niſi obſtinati dixerint, Conciliatorē in hoc uoluiſſe à Galeno, & alijs diſſentire, quod ipſe nullibi profitetur, quinimo, quātū fuit in ſe, eorū uerba gloſſare conatus eſt. Nec ualet, quod inquit Cōci. uirtutē habētes debiliorem, ut æſtate fortiores efficiūtur quàm hyeme, & ob id cibos melius conficiunt, ſic in die meliores effecti quàm in nocte, alimēta perfectius cōcoquere poterūt, quādo dies æſtati, nox uerò hyemi, ut dictū eſt, proportiōe reſpōdeat. Enimuero, ubi ea ratio efficeret, ſatius eſſe imbecilles liberalius prandere, eadē ratione Cōciliator fateri cogeretur, ſicca uētris intemperie laborātes, quorū vij. Meth. med. cap. vj. Gal. meminit, melius in die cibos conficere, quū uirtutem habeant imbecillem, quos tamen conciliator in cœna tum plus, tū ua=

lẽtius alimẽtũ aſſumere cõcedit. Nec ualet, quod ait, hos, quia cõſumpti ſunt, multo indigere alimẽto, quod utpote debiles effecti probe non conficient, niſi paulatim, & ſæpius in die illud ingeſſerint. Etenim quũ ſolis calore, & lumine ij fortiores fiant, ut idẽ ait, quẽ cibum in die cõficere nequeunt, minus in nocte, quũ eos tunc imbecilliores eſſe dicat, cõcoquere poterũt, quare & multũ, & ualẽtius alimentũ, quod in cœna ijs exhiberi oportere dixit cõciliator à Gal. accipiẽs probã coctionẽ nõ recipiet, proinde crudi, incoctiq; ſucci generabuntur, quibus ij non modice lædẽtur. Quod ſi tẽporis longitudine, & ſomno, & quiete cibos ipſos poſſe maturã coctionẽ ſuſcipere dicat: Cur & in alijs imbecillem uirtutẽ habentibus, quos aſſerit, ſatius eſſe, liberalius prandere, illis de cauſis idem non efficietur? Non ergo minus atq; nos, tenetur conciliator eã rationem ſoluere, quã quidẽ nobis eſt facile diluere: quanquàm enim qui debilem habẽt innatũ calorem, melius ad æſtatem, quàm ad hyemem afficiuntur, quãdoquidẽ ab intenſa hyemis frigiditate imbecillis calor ſuperatur, non tamen in nocte diei comparatione idem efficietur: neq; enim noctis frigiditas tãta eſſe poteſt diei cõparatione, ut calorẽ ſuperet, perinde ac in hyeme fit, quare non deſunt animalia, quæ hyeme mortuis ſimillima ſine cibo in latibulis degunt, quod in nocte diei cõparatione non fit. igitur noctis frigiditas comparatione diei tãta eſt, ut innatũ calorem ad interna cogat ſecedere, non autẽ ſuperet, quapropter coctiones melius tum operatur. Manifeſtum eſt igitur Conciliatorem

falſo

ſalſo credidiſſe, innatum calorem ſolis lumine, & calore augeri, & ob id cibos in die melius conficere. Similiter in ſomno calori magis eſſe peculiare, cruditates potius quàm cibos cõcoquere: quare, neq;, quod cõciliator intendebat, prædicta eius ratio probare uidetur. Licet enim cruditatibus repletis parum cibi exhibere cõueniat, id tamen eo tempore propinandũ eſt, quo melius confici poſſit, illud autẽ in ſomno effici, iã demonſtratum eſt. Inſuper idem Conciliator nixus eſt alia ratione probare, quæ eſt eiuſmodi, Ciborũ confectio in hepate, & uenis, quæ & ipſa perfectior fit in ſomno, perinde ac illa, quæ in uentriculo, iįs dormiẽtibus nõ perficeretur, necnõ & cõuenientibus tẽporibus exercitari nõ poſſent, ubi cœna uberior quàm prãdium exiſteret, quando indigẽte ea, quæ in uentre fit, coctione duodecim horis, ut perficiatur, cibus in hepate nõdũ eſſet ſemi elaboratus mane adueniẽte, quo tẽpore homines à ſomno ſe exercitationibus tradunt, quæ coctionibus in uentriculo, hepate, & uenis peractis ſunt adeundæ. Sed in hac ratione ita delinquit Cõciliator, ut unuſquiſq; tametſi parum eruditus facile percipere ualeat, illã aduerſus ipſum ualide pugnare. Etenim, quũ illi poſt prandiũ ciuiles exercitationes obeant, eos exercitari cõtinget, cibis nõ ſolũ in hepate, & uenis, ſed ne in uentriculo quidẽ confectis, quod quidem deterius eſſe quàm id, quod Conciliator ea ratione maxime deteſtari uidetur ex Halia. I. pra. ca. iij. facile colligitur. Etenim quos exercitari neceſſe eſt, prius quàm omnes cõficiantur cõcoctiones, cõſulit

Haliabas, ut ſaltē nitantur tanto tēpore feriari, quāto cibum in uētriculo ita eſſe confectū, ut in iocinore in bonū poßit ſanguinē permutari, atq; ipſum cibū poſt dictā in uētriculo cōfectionē ad inteſtina deſcendiſſe, quiſq; cōiectari queat. Quippe, quū coctiones ſibi inuicem ſuccedāt, ut docuit Gal. in libello de euch. & caco. cap. iij. quæ enim in toto fit corpore excipit, quæ in uenis, & iocinore efficitur, quæ uero in iocinore eā quæ fit in uētriculo. nō ergo quiſpiā inficias ire poterit, minoris eſſe diſcriminis, ut cibus aliqua coctione confectus, qui in trāſitu aliquātiſper in iocinore morā trahens eius quoq; actionē nō ſubterfugit, quàm omnino crudus, & omni carēs ſenſibili alteratiōe in uenas rapiatur, quare dixit Gal. eodē in loco, ad Euchimiā nihil eſſe utilius, quàm cibos uentriculū probe concoquere, tū enim ſubſequētibus coctionibus melius conficientur, quare patet eā Cōciliatoris rationem ipſius opinionē infirmare potius, quàm cōfirmare. Præterea quū illos plus in prandio aſſumere iubeat Cōciliator, ut cibi in die in ipſo uētriculo ſemicōfecti eis dormiētibus perfecte, & in uētriculo, & hepate, ac uenis cōcoqui ualeant, igitur nulla adhuc coctione perfecta, nec ea, quæ in uentriculo, nec ea, quæ in iocinore, & uenis fit, eos in cœna eſſe oportebit, quod deterrimū eſſe, ex his, quæ in priori uolumine ſcripta ſunt, puto ſatis eſſe manifeſtum. In prædicta quoq; ratione Cōciliator aſſumit, cibum in uentriculo amplius duodecim horis permanere, Auic. motus autoritate xiij. tertij, trac. iij. cap. viij. in hunc modum ſcribentis, Et quan-

titas

titas quidẽ æqualis remanẽtiæ in ſtomacho, & egreſſionis eius eſt illud, quod eſt inter duodecim horas uſque ad uiginti duas horas &c. Quã quidẽ autoritatẽ Gentilis in eius libri expoſitione ſcripſit, Cõciliatorẽ perperam intellexiſſe. Quippe ait Gentilis, tẽpus de quo meminit Auic. inter duodecimã, & uigeſimamſecundam horã interponitur, quare decem id tempus cõtinet horas, quibus inquit, cibos tum in uẽtriculo moram trahere, tum ex ipſo egredi uentriculo, quo quidem tempore longius non datur ad ea conficienda. in his autem, qui uires habent ualidiores, ubi cibus moderate ingeſtus ſit, ſeptẽ, aut etiã ſex horis perfici poſſunt, quæ tamen de his uolumus eſſe intelligenda, qui nulla ægritudine affecti ſunt: poſſet enim uentriculus aliqua affectione laborare, ut ea tardior fieret concoctio. Non igitur, qui liberalius cœnauerint, à ſomno ad exercitationes conuerſi, prius quàm in hepate nutrimentum ſit mature cõcoctum, ipſas exercitationes adibunt. Neque enim ſtatim ingeſto cibo, ſomno, & quieti indulgendum eſt, ut libello de dis. cõti. præcipitur, & in iiij. ad Alman. cap. iij. & tertia primi, doc. ſecũda, ca. vij ſed prius lenta deambulatione moueri, his maxime proficuum eſt, in quibus cibi inferiora uẽtriculi non facile petunt, cuius quidẽ deambulationis terminus ſit ipſorum ciborum ad imum uentris deſcẽſus, quod quidem tempus certa quantitate definiri nõ poteſt, quando hi longiori tempore à ſomno ſe abſtinere debeant, quibus ciborum deſcenſus difficilior eſt, quibus uero facilior, citius dormire permittendum

ſit. Verum quod mediocre eſt, duarum horarũ ſpatio definiatur, quod uerò alijs cõuenit, quibus non facilis eſt ciborũ deſcẽſus: trium, uel ad ſummũ quatuor. Similiter tẽpus quo quempiã dormire oporteat, mediocre eſt, quod octo cõtinet horas, quod quidem & longius, & breuius, in quibus id conuenit, eſſe oportet. Præterea ponatur quoq; in iocinore alimẽtũ duabus, aut tribus horis confici, quod ſeptem, aut octo, aut ad ſummũ decẽ horis in uẽtriculo cõficiebatur, & ex eo egrediebatur. Si quis igitur id tẽpus, quo ingeſto cibo ante ſomnũ uigilare oportet, tẽpori ſomno, & quieti deſtinato addiderit, poſt quod homines aſſuetis ſe operibus accingũt. Inſuper & hoc tẽpus, & id, quo in uẽtriculo, & hepate coctiones fiunt, recta ratione examinauerit, inueniet tum corpora exercitari, quũ alimẽtum in uẽtre, & iocinore eſt perfecte concoctũ: in uenis aũt coctio agitur, quod tempus eſſe ad exercitationẽ cõmodiſsimũ, de Gal. & aliorũ ſentẽtia in priori lib. declaratũ eſt. Nõ igitur eo tẽpore corpora exercitabũtur, quo in hepate adhuc coctio fit, ut Cõciliator cõmẽtus eſt. Sed nolo unũ præterire, aliter legi locum illũ Auic. ut Andreas Bellunẽſis in ſuis caſtigationibus nos cautos reddidit, ubi enim in antiqua interpretatione in ſtomacho legitur, ille in alio codice ſcribi in corpore adnotauit. Quòd ſi ſic illa autoritas legeretur, poſſemus fortaſſe ſuſpicari, Auic. ſenſiſſe, cibum inter duodecim (ut eius more loquar) horas, uſq; ad uigintiduas horas permanere in corpore, & egredi, id eſt, corpus ſpatio duodecim horarũ ad minus, ad

ſummum aũt uiginti duarũ horarũ aſſumptũ alimentum continere, prius quàm ex eo uere nutriatur, atq; excremẽta egerãtur. qui enim calorẽ naturalẽ habent ualidiorẽ, paulo plus duodecim horis indigẽt, ut ex cibo nouiſsime ingeſto nutriantur, qui uero calorem habent imbecilliorẽ, etiã uiginti duabus horis, ut nutriãtur, indigere poſſunt, quod quidẽ tẽpus & lõgius, & breuius (dũmodo dictos terminos nõ tranſgrediatur) eſſe poteſt, cuius diuerſitatis cauſa eſt, tũ caloris naturalis fortitudo, uel debilitas, tũ aſſumptorũ quãtitas, aut qualitas, tum uentriculus, aut bene, aut male affectus: uerum, ſiue locus ille ita, ut nunc dictũ eſt, intelligatur, ſiue ut eũ Gẽtilis expoſuiſſe uidetur, cõſtat eũ opinioni noſtræ minime refragari. Nec *etiã nobis officit, quod inquit Cõciliator, in die corpora quidẽ magis per difflationem purgari, & ob id in prãdio plus eſſe ſumendũ, quandoquidẽ illud potius oppoſitũ probare uidetur, quum ante ciborũ aſſumptionẽ opus ſit corpora prius ab excrementis purgari, ut in ij. de tu. ſa. ſcripſit* Gal. *& in expoſitione x. apho. ij. parti. innuit: uerum quum in die corpora per ſenſui occultos meatus ab excrementis in nocte aggregatis purgẽtur, non ergo tunc, ſed quũ iam corpora purgata fuerint, magnam ciborum quantitatem exhiberi oportebit, quare ſatius erit plus cœnare, quàm prãdere.* Præter*ea exempla ab ipſo conciliatore adducta nihil ei cõducere, unuſquiſq; maniſeſte intelliget, qui de ſan. tu. quintum uolumen perlegerit, ubi de* Antiocho *medico, &* Thelepho *grãmatico* Gal. *meminit, ut declara-*

ret, imbecillo ſeni melius eſſe ter in die comedere. Etenim de Antiocho medico ſcripſerat, quòd circiter tertiam, uel quartã diei horam panẽ ſumebat cũ attico melle, hora ſexta fricabatur, & exercebatur exercitijs ſeni aptis, & lotus prandebat mediocriter, primo aluum deijcientia, poſtea piſces ſaxatiles ingerẽs, in cœna uero piſcibus dimiſſis aliquid aſſumebat boni ſucci, aut far cum mulſo, aut auem ex iure ſimplici. nõ uidetur igitur ex hac uiuendi ratione poſſe Conciliatorem elicere, Antiochum plus in prãdio, quàm in cœna ſumpſiſſe, quando potius oppoſitum elici poſſe uideatur, unde Auic. iij. primi, doc. iij. cap. ij. ubi de nutriendis ſenibus pertractat, eos ait oportere cœnã augere. Dicet forte quiſpiam, Telephum, qui circa horam tertiã pro ientaculo ſumebat alicam in aqua coctam, & melli optimo crudo permixtam, hora uero ſeptima prãdebat ſumptis primo oleribus, deinde piſcibus, aut auibus, ueſpere autem panem tantum ex uino mixto cœnabat, plus in prandio quàm in cœna comediſſe. Cui reſpõdebitur, Gal. eorum exemplo, ut dictũ eſt, uoluiſſe tantũ declarare, ſenes opus eſſe ter in die comedere, in alijs autẽ illos nec laudat, nec uituperat. Præterea non etiam patet ea uiuendi ratione Telephum plus in prandio, quàm in cœna comediſſe, putandum eſt enim Telephum in cœna panem tantũ ex uino mixto ſumpſiſſe, ut ueſceretur cibo ſeni aptiſſimo. Enimuero propoſito Telephi exemplo mox ſubdit Gal. Sane uinum ſicut pueris eſt alieniſſimũ, ita ſenibus eſt aptiſſimum, quare putãdum quoq; eſt, tantũ

illius

illius cibi Telephum ingeßiſſe, ut cœna prãdio maior fuerit. Porrò *ſi ſupponatur,* Telephum *in hoc rectam ſui uictus rationẽ inſtituiſſe, illud fácere debuerat, his præſertim motus rationibus, quarum* Gal. *meminit in ſeptimo meth.med.cap.vj.de reficiendis loquẽs: quorum uirtutes, perinde ac in ſenibus, imbecilles ſunt, quas quidem rationes nõ eſt opus hic ſcribere, de illis enim in priori libro meminimus.* Quòd *ſi quis omnino contendat,* Telephum *plus in prandio, quàm in cœna ſumpſiſſe.* Sanè *quum hic grãmaticus fuerit, ille uero medicus, qui uberiorem ſibi cœnam delegerat, maiorẽ puto in uictus ratione inſtituenda medico, quàm grãmatico fidẽ eſſe adhibendã.* Et *ob id* Paulus Aegineta *in libello de præceptis ſalubribus cap. xxiij. ubi agit de uictu ſenum, omiſſo* Telepho, Antiochi *uictus rationem deſcripſit.* Ex *ijs itaque patere arbitror,* Conciliatorem *in his, quæ de occupatis aſſuetis exercitationibus ſcripſit, non parum aberraſſe.* Poſſem *equidem de multis alijs meminiſſe, in quibus* Conciliator *de ægris, & aëris conſtitutionibus loquens nõ parum aberrauit, quæ quoniam ex his, quæ hactenus ſcripta ſunt, facile & deprehẽdi, & rationes diſſolui poſſunt nõ ero dignus reprehenſione, ſi illa miſſa fecero, neq; enim lector nimia libri prolixitate tædio afficiendus eſt.* Omiſſo *igitur* Cõciliatore *cũ reliquis ſermo habẽdus eſt.* Qui *enim cõmunẽ aſſuetudinẽ plus prãdendi, quàm cœnãdi, quã, puto ex prædicta* Cõciliatoris *opinione originẽ traxiſſe, conãtur defendere, tali potißimum ratione nitũtur,* In *ſomno ex cibo ingeſto multi*

ab innato calore ad interiora ſe colligente gignũtur uapores, qui quum per cutis meatus obſtructos diſſlare nõ poßint, intra corpus detẽti, atq; ſurſum elati, caput facile opplebunt. At in uigilia geniti, utpote calore ad extimas partes acto, pauciores ſunt, qui eiuſdem cutis meatibus reſeratis facile diſſlare poſſunt: quare in prandio plus cibi tutius, quàm in cœna exhiberi poteſt: periculum enim eſt, ne his, qui liberalius cœnant, repleatur caput uaporibus. Hac ſiquidem ratione, in illis præſertim affectibus, quibus ſolet ea pars affici, à qua omnes aliæ corporis partes ſentiẽdi, ac mouẽdi facultatem recipiunt, omnino plus in prandio, quàm in cœna ſumi debere, cõtendunt. Quod Auic. quoq; autoritate confirmant, qui in prima tertij, trac. v. cap. xj. epilepſiæ curationẽ docens ſcripſit hæc uerba, Et ille, cuius conſuetudo nõ tolerat, ut ſemel reficiatur, diuidat cibũ ſuũ, qui eſt minor refectione ſua, in tres partes, & ſumat duas tertias in prandio, & tertiã eius in cœna poſt exercitium ſubtile &c. Nõ enim Auic. potuiſſet clarius dixiſſe, oportere qui epilepſia detinentur, plus in prãdio quàm in cœna ſumere. Nos autem primo declarabimus eã rationẽ nõ cõcludere, deinde Auic. autoritatẽ nõ recte ſcribi oſtendemus. Vt igitur illud optime declaretur, non ignorandum eſt, ex cibo duo uaporum genera produci, ut ex Gal. colligitur in iij. de cauſis pulſuũ lib. qui cõmentũ introductorij de pulſibus eſt inſcriptus. Alij enim uapores ſunt naturali calori maxime affines, qui ſuaues exiſtunt: quales ſunt, qui ex dulci aqua calida euaporant. Ex quibus

ſomnum

ſomnũ fieri naturalẽ in.v.theo.cap.xxxv.ſcripſit Haliab.in hunc modũ, Somnus igitur naturalis ex humiditate cerebri eſt tẽperata, & uaporũ aſcenſu humidorum, qui clari ſunt, & boni à corpore ad cerebrũ &c. Alij uero cũ innato calore affinitatẽ nõ habẽt, qui quidem duplices ſunt, Aut enim fuliginoſi, & acres ſunt, quales ſunt, qui ex aliquo exuſto corpore exhalant. Aut craßi, quales, qui ex terra madida in medijs conſtitutionibus caloris actione proficiſci cernimus. Quippe priores ex naturali calore cibos optime cõcoquẽte modice generantur, quorũ expulſionẽ tantũ abeſt naturã inquirere, ut ex ijs calor tũ nutriatur, tũ humectetur, quum uigilia, aut labore ſiccior redditus eſt, ut ex Gal. colligitur in.iij.de cauſis pul.citato. Qui uero fuliginoſi ſunt, ex calore cibũ, uel aliquã eius partẽ ueluti adurente producũtur. Siquidẽ tale quid his accidit, qui ualidum habẽtes calorẽ innatũ cibos concoqui faciles, & paucos ingerũt. Poſtremi uerò gignũtur, quũ alimẽti quantitas, aut qualitas, aut caloris imbecillitas moderata, & alia id genus, maturam ciborũ coctionem fieri prohibent. hac enim ratione flatus generari, ſcripſit Gal.in.vj.de Symp.cauſis, cap.ij. quũ itaq; calor naturalis probe cibos cõficiet, moderatã utiq; ſuauium uaporũ quãtitatẽ, aliorum autem paucã generabit. Si uero calor uehemẽtior fuerit, quàm ꝙ pro iuſta ciborum coctione eſſe oporteat, plures quidẽ ex his, qui acres ſunt, pauciores autem ex modo dictis producentur. Eodem pariter modo, ſi calor naturalis imbecillior fuerit, non ita tamen, ut nullum ſenſile opus

in cibos efficere poßit, ſed ita, ut cibos ueluti diſſoluat, nõ autẽ penitus conficiat, ex poſtremis plurimi, ex prioribus autẽ pauci uapores exorientur. Præterea ſciri quoq; oportet, calorẽ innatũ nõ tantũ, ut corpus nutriatur, ſed ut ſuperfluitates excernãtur, atq; expurgentur, prouidentiam habere, ut Gal. placuit in.xv. Aphoriſ. expoſitione pri. parti. Aphoriſ. & in libro de pot. natu. uolumine primo, cap.x. qui quidẽ calor quanto fortior extiterit, non modo nutritionẽ (ubi tãtum habuerit alimẽti, quantum poteſt peruincere) ſed etiã ſuperfluitatũ expulſionẽ, ſiue per cutẽ, ſiue p expirationẽ, ſiue per urinã, melius operabitur, ut ſcripſit Gal. in expoſitione ſuperius adducta. Illud quoq; nos præterire non oportet, ꝙ in ſomno, per quos meatus uapores poſſunt ad caput aſcendere, non ita facile, ut in uigilia, poſſunt pertranſire. Vapores enim ad caput aſcendere, coniectari poteſt, aut per arterias, aut palatum, aut neruos, aut uenas. Quod per arterias minus in ſomno poßint uapores ad caput efferri, facile oſtenditur. Etenim arteriæ, ut Gal. placuit in.iij. de potẽ. natu. cap.xiiij. quum attolluntur, ex ſibi uicinis partibus, quod eſt magis tenue, attrahunt ad uacuum conſequutione, quæ quidẽ ad cutẽ terminantur aerẽ extrinſecum, qui & ſibi proximior, & inter omnia alia leuißimus eſt, quæ uerò cordi proximæ ſunt, ex ipſo corde primũ ſpiritũ utpote leuißimũ, ſecũdo uaporẽ, tertio ſanguinẽ exquiſite elaboratũ, atq; attenuatũ, quæ autem à corde, & cute plus diſtãt, ex uenis partẽ ſanguinis leuiorem, quæ ad uentriculum, & inteſtina termi-

nantur

nantur tum à corde, tũ à uenis ipſi cordi adiacentibus plus attrahent, minus autem ab ipſo uentriculo, & inteſtinis, quãdo in corde, & uenis cõtenta leuiora ſunt, quæ uerò in uẽtriculo, & inteſtinis craſſa, & grauia, qui igitur uapores ex cibo geniti in uẽtre cõfecto per arterias ad caput efferri debent, primo arterias ad uentriculum terminatas, dum attolluntur, ingredi neceſſe eſt, deinde ad eam, que per ſpinã tendit, meare, à qua illæ deriuãtur, hinc ad eas, quæ poſt aures ad caput aſcẽdunt, demũ ab his ad cerebrũ pertranſire. At in ſomno huiuſmodi arteriæ ex uaporibus ingeſti alimẽti ad caput primo elatis, deinde cerebri algore condenſatis, ac retrocedentibus obturantur, ut ſpiritibus ad cerebrũ facilis tranſitus non ſit, qui uaporibus ijs ſubtiliores ſunt. & ob id dixit Ariſtoteles in libello de ſomno & uigil. tenues & anguſtas habentes uenas eſſe maxime ſomniculoſos, quum uerò à ſomno ad uigiliam tranſfertur animal, huiuſmodi quidem obſtructiones dimouentur, quare per arterias ad caput aditus in uigilia magis, quàm in ſomno expeditus eſt, non ergo in ſomno uapores facilius, quàm in uigilia per arterias poſſunt ad caput aſcendere. Quod etiam confirmari poteſt, quando ad uacuum conſequutione tanto magis arteriæ uapores attrahant, quanto magis attolluntur, quum autem in ſomno minus attollantur quàm in uigilia, ut docet Gal. in. iij. de cauſis pul. minorẽ igitur uaporũ quãtitatẽ in ſomno attrahẽt. Eodẽ pariter modo aditus is, quo humiditates à cerebro per palatũ expurgantur, nobis dormientibus obturatur, quare

per eũ quoq; minus in ſomno, quàm in uigilia poterũt ad cerebrũ uapores pertrãſire. Adde ꝙ quũ in ſomno maior ſit expiratio inſpiratione, ut ſuperius diximus, uapores ex alimẽto eleuati, atq; ad partem illã trãſmiſſi, expiratione facilius expelluntur, huius autẽ indiciũ eſt, magna, quæ fit in ſomno, ut ita dixerim, ſufflatio. Similiter neruorũ meatus, ſi qui ſunt (ſolos enim oculorũ neruos manifeſtos habere meatus ex Gal. colligitur in. iiij. de ſymp. cauſis cap. v.) per quos animalis facultas à cerebro ad omnes corporis partes transmittatur, in ſomno ex uaporibus retrocedẽtibus obſtrui neceſſe eſt, quare per illos poterũt uapores in ſomno difficilius ad cerebrum perduci, quãdo tunc per eos meatus à cerebro ad uniuerſum corpus animalis facultas delabi prohibeatur. Neq; etiã quis uere poteſt affirmare, uapores per uenas in ſomno ad caput aſcẽdere, quãdoquidẽ arteriæ ex uenis eorũ, ut pote ſanguine in uenis contento leuiorũ attractionẽ anticipabunt, nam in iij. de pote. natu. cap. xiiij. arterias ex uenis ſibi propinquis per ora, quæ inter ſe habent cõmunia, tenuiſſimũ, ac uaporibus ſimillimũ ſanguinẽ in eis uenis contentũ attrahere, ſcripſit Gal. quare multo magis uapores attrahent, quos etiam paulo infra dixit Gal. leuiores, & ſubtiliores eſſe ſanguine exquiſite elaborato, atq; attenuato. iam autem oſtenſum eſt, per ſomnos uapores in arterijs contentos difficiliorem ad cerebrum tranſitum habere, ꝙ ſi qui uapores arteriarum attractionẽ ſubterfugerint, neq; etiam illi facile efferentur ad cerebrum, quando uenæ, priuſquam cerebrum pertingant,

ad ſu

ad ſupremũ capitis aſcendant, mox deſcendant ad cerebrum, ut Gal. ix. *de uſu partium, cap.* v. *declarauit, quãobrem uapores per poros exitum anticipabũt.* Pa*tet igitur, nec per arterias, nec per palatũ, nec per neruos, nec per uenas in ſomno poſſe uapores ad cerebrũ facilius efferri, ſed contra potius.* His *itaq; ſic declaratis facile eſt oſtendere, his caput magis uaporibus oppleri, qui liberalius pranſi fuerint, quàm ſi parũ prãſi liberalius cœnauerint.* Quippe, *quum in die maxima pars hominũ, aut ui, aut ſponte, aſſuetis ſibi laboribus exercitari ſoleat, ut in ſuperiori uolumine dictum eſt.* Vbi *quoq; diximus, exercitatione calorẽ foras agi, & ſenſibus, ac motioni incumbere.* Igitur *nemo inficiabitur, calorem tunc pro naturalibus operationibus adeũdis imbecilliorem redditũ eſſe, quare cibos liberalius ingeſtos ægre concoquet: proinde, paucos bonos, plurimos autem malos uapores gigni, neceſſe eſt, quos quũ calor alijs operibus diſtractus, ut decet, non expellat, ad caput educti per ipſos quidem meatus reſeratos id ipſum caput facile replebũt.* At *in ſomno calor ad interiora coactus cibos probe cõficiet, quare paucos uapores craſſos, ac fuliginoſos gigni cõtinget, quos calor fortis, utpote operibus naturalibus intentus expellere poterit, craßiores quidẽ per urinã, nõ ita craſſos per expirationẽ, exqſite uerò extenuatos ad cutẽ, ut* Gal. *affirmat loco ſuperius citato.* Et *propterea in.* iij. *de cauſis pul. dixit* Gal. *ut in ſomno expiratio maior eſt inſpiratione, ita quoq; arteriæ maior eſt constrictio, quàm dilatatio, utpote natura appetente ſuperfluita=*

tes expellere. Inſuper ſi qui uapores in ſomno ſurſum labi continget, per meatus obſtructos nõ ita facile, ut in uigilia, ad cerebrũ uſq; penetrabunt, quare manifeſtum eſt cibos liberalius ingeſtos minus in ſomno, & quiete, quàm in uigilia, & exercitatiõe caput uaporibus opplere. Et ob id Gal. in. vj. de tu. ſa. docens eorũ uictus rationẽ, qui uitam ducunt negotioſam, & ante balneum exercitari, & aliquid comedere coguntur, dixit, ſuppoſito diẽ tredecim horas æquinoctiales longũ eſſe, ac in decima corporis curãdi ſpẽ eſſe, circa quartã horã ſimpliciſsimũ ſumẽdũ eſſe nutrimẽtũ, qui utiq; ſolus eſt panis, cuius is modus ſit, qui decima hora concoctus eſſe poſsit, quã uictus rationẽ ſe negotijs implicitũ ſeruaſſe inquit, nonnullis autẽ ſolũ panẽ ſine opſonio ſumere nõ placuiſſe, ſed eũ cũ palmulis, oliuis, melle, aut ſale ingeſsiſſe, ac nõnullos, etiã poſt eũ bibiſſe. Cui ſententiæ Celſus in primo de re med. ca. iij. his uerbis adſtipulatur, Si prãdet aliquis, utilius eſt, exiguum aliquid, & ipſum ſiccũ, ſine carne ſine potione ſumere. Et Auic. tertia primi doc. ſecunda cap. vij. ita ſcribens, Quod ſi alicui neceſſarium fuerit comedere ante exercitiũ. ſolũ panem tali ſumere debet menſura, ut digeri poſsit, antequàm ſuũ incipiat motũ &c. Verũ, quã ob cauſam ſolus panis ijs mane ſumendus ſit, poſt prædicta eodem in loco ſtatim ſubdit Gal. ſcribens in hunc modũ, Quippe, ſi exercitari cupiant, eo maxime pacto citra noxam ſe exercitant, ſiquidem nõ leue incommodũ nõnullis accidit, quũ repleti cibo ſe exercitant, nõnullis enim & caput impletur uaporibus, & in

iocinore, aut ponderis ſenſus, aut diſtẽtionis, aut utriuſq; percipitur &c. Haliabas quoq; primo prac. cap. V. ita ſcripſit, Si enim exercetur, aut balneatur quis poſt repletionem ciborum, repletur caput uaporibus &c. Sic itaq; puto, ſatis eſſe manifeſtũ, his, qui ſe exercent, minus caput uaporibus oppleri, ſi parcius pranſi fuerint. Quod etiam in his facile eſt declarare, qui liberalius pranſi ſe forte exercitatione abdicabũt. In ſuperioribus enim oſtenſum eſt, in ſomno cibos melius conſici, quàm in uigilia, & meatus in uigilantibus eſſe adapertos, quos dormientes obſtructos habent, quare pro portione his illa euenient, quæ prædictis contingere, paulo ſupra declarauimus. Præterea illud quoq; nos docet experientia. Etenim unuſquiſq; mane ante prandium caput melius eſſe affectum percipit, quàm ueſpere ante cœnã, quare qui literis incumbũt, melius mane, quàm ueſpere eis ſtudere poſſunt, quod utique non efficeretur, ſi plus in ſomno, quàm in uigilijs caput impleretur uaporibus. Nec obſtat, quod ea ratione dicitur, in ſomno cutis meatus eſſe obſtructos, ideo uapores extra corpus ferri non poſſe, quando illa obſtructio tanta non ſit, ut qui fuliginoſi, & ſubtiliores ſunt, per illos meatus exire non poßint. At qui craßiores ſunt, non facilem habent exitum. Verum, quoniam (ut ſuperius diximus) calor innatus, ut omnes ſuperfluitates excernantur, prouidentiam habet, eos igitur ad partes cuti propinquiores, quoad fieri poteſt, tranſmittit, quare dixit Gal. in tertio de cauſis pul. ſæpe allegato, à ſomno ad uigiliam

conuerſis pulſus fieri, & maiores, & uehemētiores, & uelociores, ac frequentiores, & ueluti concuſsionem quandam habentes, quoad uapores illi fuerint expurgati, ac tranſpirabile totum ſibi corpus calor reddiderit. Sic itaq; ex dictis ſatis manifeſtum eſſe cenſeo, pororum cutis obſtructione uapores in ſomno ad caput ita facile, ut in uigilia, efferri non poſſe. Ex prædictis quoq; facile patere arbitror, minus in ſomno, quàm in uigilia, ubi par ſit in utriſq; uaporum quantitas, caput uaporibus impleri his, quibus cerebrū aliqua affectione laborat, quod Auic. in prima tertij trac. ij. ca. xxiiij. inſinuauit, ſcribens enim qua ratione hi curandi ſunt, qui dolorem capitis ex ebrietate patiuntur, inquit, Et ſi eſt aliquid prohibens ab euacuātibus, cuiuſcunq; modi fuerint fac eos dormire, quouſq; digeratur, quod in eorum ſtomachis continetur de uino. Et paulo infra, Deinde fac eos dormire, & quieſcere, quoniam eſt radix in cura ipſius. Et rurſus paucis interpoſitis, Et adminiſtra eis ſomnū inquantum potes. Adhuc fere in fine capitis, Et uniuerſaliter melius eſt, ut conſideres digeſtionem eorum non ſomno, aut quiete longa, donec ſtomachus parūper alleuietur. Hoc enim minime præcepiſſet Auic. ſi uapores facilius in ſomno poſſent ad cerebrum pertranſire. Quinimo eos dormire iubet, ut uaporibus capitis dolorem efficientibus paucioribus redditis affectus fiat mitior, quare ijs quoq; utilius eſſe plus in cœna, quàm in prādio ſumere, manifeſtum eſt. Et ob id Gal. in ſecūdo de compoſitione medicaminū, per ſingulas corporis partes, ubi doloris capitis ex

ebrietate

ebrietate curationem docet, dixit, qui ex ebrietate capitis dolore affecti ſunt euacuatione, & infrigidatione indigent, quibus tota die peractis, in nocte balneo lauentur, cibiq; Euchimi non calefacientes exhibeantur, quales ſunt ptiſanæ ſuccus, & ex alica ſorbitio, ac panis cum aqua, ouaq; ſorbilia ſine garro. Quippe ubi melius eſſet eos in prādio, quàm in cœna, plus ſumere, utiq; Gal. præcepiſſet, cibū potius die, quàm nocte exhiberi oportere. Præterea Gal. in conſilio pro puero morbo comitiali laborante uictus rationē inſtituens, dixit, tertiam panis partē cum his, quæ uentrem ſubducant, in prādio eſſe apponendam, reliquas uero duas in cœna cū ualētioribus cibis ſeruādas eſſe. quod etiam Raſis in pri. conti. cap. v. Gal. teſtimoniū loco ſuperius citato adducens affirmauit. Ex his facile colligitur illū Auic. locū pri. iij. trac. v. cap. xj. deprauatū eſſe, quum oppoſitā epilepticorū uictus rationem docuiſſe uideatur, nulla de Gal. & Raſi mentione facta: quos, quum ab eis diſsidet, præterire non ſolet. Quod etiam ille locus deprauatus ſit, ex eo cognoſci poteſt, quòd Auic. in eadē pri. iij. trac. v. cap. ulti. declarans, qui cibi apopleticis cōueniāt, ſcribit in hūc modum, Cibi autem habētium apoplexiā ſint ſubtiliores cibis habentium epilepſiā, & rectius quidē eſt, ut ſis cōtentus in eis in matutinis pane ſolo, &c. Quippe, quū & epilepſia, & apoplexia ex eiſdē humoribus eueniant, atq; in utroq; morbo idē locus patiatur, ut ait Gal. in expoſitione lv. apho. ij. parti. neq; inter ſe differant, niſi quia apoplexia fortior, epilepſia uero debilior

affectus eſt, qua ratione uoluiſſet Auic. ut in epilepſia plus pranderēt, quàm cœnarent: contra aūt in apoplexia? Nec ualet Gentilis interpretatio eo in loco ſcribētis, quòd forte id Auic. dixit arbitratus ijs eſſe melius, cœnam eſſe matutinā. Quippe quoniā paucis interpoſitis ſubdit Auic. Et quando aliquid ſumunt, non dormiant ſuper ipſum uelociter, ſed expectēt aliquātulū, donec deſcendat, & digeratur digeſtione aliqua, nec etiam plurimū uigilent, illud enim permutat cerebrū, & reſoluit ex cibis uaporē nō digeſtum, ex hoc quòd prohibet digeſtionē &c. Enimuero ex loquēdi modo Auic. uelle uidetur, nō longo tēpore poſt cibū ingeſtū opus eſſe ipſos ſomno ſe abdicare. inquit enim, expectent aliquantulū. & ſubdit, nec multū uigilēt. quòd ſi cibum tantūmodo matutinū ſumerēt, aut opus eſſet eos poſt cibū diu uigilare, aut in die ſomno ſe tradere, quorum utrūq; Auic. deteſtatur. Ex hac Auic. autoritate colligere licet, nunquid poſt cibum aſſumptū ſomnus, an uero uigiliæ magis repleāt caput uaporibus. Conſtat igitur illam Auic. autoritatem non eſſe intelligendam, ut eam Gentilis expoſuit, ſed potius Auic. Gal. adhærēs præcipit, ut mane ſolus panis eſitetur noxam euitandi gratia, quæ illis accidere ſolet, qui copioſius pranſi ſe exercitant: etenim ut illi exercitationes adeant, quarum eo capite meminit, non obſcurum eſt Auic. præcepiſſe. Manifeſtum eſt igitur locū illum Auic. indigere caſtigatione, nō autem illum Raſis, ut Gentilis eſt arbitratus, quod etiam ex modo loquendi Auic. facile cōiectari poteſt. Inquit enim, & ille cuius

conſuetudo nõ tolerat, ut ſemel reficiatur &c. quaſi uelle uideatur, ut niſi obſtaret conſuetudo, melius ſit eos ſemel comedere. uerũ, quũ Hippoc. *Gal.* Celſus, *& omnes deniq; in medicina præcipui ſcribunt, ſemel in die comedendũ eſſe, quòd eum cibũ in cœna, nõ aũt in p̃randio ſumi oportere intelligant, ex eorum libris eſt ita manifeſtũ, ut nulla declaratione indigeat.* Nec *ſine ratione quiſpiã arbitrari poſſet, eum forte locũ ab aliquo fuiſſe deprauatũ, qui opinionẽ tutaretur, ꝙ plus in prãdio, quàm in cœna ſumi oporteat.* Hoc *enim hac noſtra tempeſtate contigiſſe illi Gal. loco in conſilio pro puero epileptico, de quo ſupra meminimus, manifeſtum eſt. qui enim eũ libellum tranſtulit, locũ illum, qui quidem in codice Græco ad uerbum ita legitur,* Μετὰ δὲ ταῦτα πρὸς τὸ ἄριστον ἰέναι, καὶ τι πρόγε αὐτοῦ τῶν λαπαττόντων τὴν γαστέρα λαχάνων, ἢ καὶ ταρίχους, ἢ πτισάνης, ἢ ἐλαιῶν ἅμα τῷ τρίτῳ μέρει τοῦ ἄρτου προσενεγκάμενον εἰς τὸ δεῖπνον ἀποθέσθαι τὰ λοιπὰ δύο μέρη μετὰ τῶν ἰσχυροτέρων ὄψων, *hoc modo interpretatus eſt,* Quibus *ita curatis ad prandiũ abire debet, ante illud uero aliquid ſubducẽtium uentrẽ, holerũ, aut iuriũ, aut ptiſanæ, aut oleorum cum tertia panis parte ei apponatur.* Reliquæ *autem duæ partes in ipſo prandio cum cibis ualidioribus præbeantur &c.* Qui *ſanè locus nõ illo, ſed hoc modo* Latine *ſcribendus eſt,* Poſt *hæc autẽ ad prandium ire oportet, & prius quippiã uentrẽ ſubducentium holerum, aut etiam ſalſamenti, aut ptiſanæ, aut oliuarum unà cum tertia panis parte apponatur, in cœna uero reliquæ duæ partes cum ualidioribus*

obſonijs reponãtur &c. Neq; enim quod δεῖπνον Græci dicunt, Latine prandiũ, ſed cœnam ſignificat, quod uero nos prandiũ Græci ἄριστον ſcribunt, ut recte noſcunt hi, qui callent literas Græcas, quamobrem non poſſumus non ſuſpicari, prædictum Gal. locum ab illo interprete eo modo fuiſſe translatum, ut ſuæ opinioni adſtipulari uideretur, quod quidẽ inferius eodẽ conſilio, aut oblitus eſt, aut cõmode facere nõ potuit. Enim uero poſt prædicta uerba Galenus enumeratis omnibus obſonijs, & à quibus abſtinere, & quæ cũ illa tertia panis parte in prãdio licet ingerere, ſubiecit, quæ cum duabus reliquis partibus ipſius panis puero, ubi à diſciplinis redierit, poſt deambulationem apponẽda ſunt. Ita ſcribens, Μετὰ δὲ ταῦτα διαλιπόντα χρόνον ὀλίγον, ἀξιῶμα περιπατῆσαι κελεύω πρὶν ἐπὶ τὰ μαθήματα παραγίνεσθαι καὶ μὲν δὴ καὶ ἀπαλλαγέντα τῶν μαθημάτων, αὖθις ἀξιῶ περιπατῆσαι πρὸ τοῦ δείπνου, κἄπειθ' οὕτως τοῦ μὲν ἄρτου τὰς ὑπολοίπους δύο μεῖρας προσφέρεσθαι, τῶν δ' ἄλλων ἕκαστον ὡς εἴρηται, κρέας μὲν ἁπάντων σχεδὸν τῶν πτηνῶν, πλὴν ὅσα λιμναῖα. quem locum ille in hunc modũ trãſtulit, Deinceps uero, quod reliqui ſupereſt temporis, tranquillæ deambulationi dari iubeo, antequam ad diſciplinas reuertatur. A quibus ubi redierit, iterum deambulare eum ante cœnam uolo. Et ſic poſtea panis ei reliquæ duæ partes ponãtur cum alijs ſingulis, ſicut dictum eſt, carnibus quidem omniũ ferè uolucrum, præterquam aquaticarum &c. Sic itaq; cõſtat, illum interpretem, aut perquàm imperite, aut inepta calliditate eum priorem illius conſilij locum Latinum

timum feciſſe, quod etiam illi Auic. Autoritati contigiſſe, facile eſt credere, ſed, quoquo modo res habeat, manifeſtum eſſe cenſeo, locũ illum Auic. omnino indigere caſtigatione. Aliã adhuc Auic. autoritatem adducunt, quam quidem ab eis perperam intellectam arbitrantur ſuæ opinioni non parum opitulari, ea autẽ eſt in prima tertij, trac. ij. cap. xxvij. ubi Auic. doloris capitis ab humoribus in uentriculo aggregatis per conſenſum euenientis curationem ſcribens, quũ dixit eos humores eſſe euacuandos, necnon quales cibos his offerre oporteat, talia ſubiecit, Et oportet ut ſerues cœnas eorum &c. Quæ uerba Gẽtilis expoſuit, id eſt, nõ cœnent, uel reponant eam, uel minuant eam &c. Sed quoniã, ut ſuperius dixi, quicquid boni ſcripſit Auic. ab alijs, & Gale. præſertim mutuatus eſt, ac ea, quæ Gal. fuſius pertractauit, ſummatim dixit, idcirco, quæ ſcripſit Gal. in vj. de tu. ſa. & ſeptimo method. med. cap. xj. & in libello de uinis, & ſecundo de compoſitione medicaminum per ſingulas corporis partes cap. xj. de doloris capitis curatione à ſuccis uentriculũ occupantibus dependentis. Auic. cap. ſuperius citato breuiter ſingula attigit, qui igitur ab Auic. eo capite breuiter recitata cupit recte intelligere, ut dictos Gal. locos perlegat, oportet. Etenim pleriſq; in locis id euenit, ut Auic. ſine Gal. lectione recte intelligi nõ poſſit: propter quod accidit, non paucos in operibus Gale. perlegendis parũ diligẽtes in multis nõ modice aberraſſe, & quãplurimos ipſius Auic. locos perperã intellexiſſe, quod uno tractatu aliquãdo declarare, mihi in

animo eſt, nunc autem hoc loco id contigiſſe oſtendā. Enimuero Gale. in ij. de compoſitione med. per ſing. cor. par. citato, docēs dicti doloris capitis curationē, inquit, nō opus eſſe de capite ſolicitos eſſe quando caput nulla propria affectiōe laborat, ſed à prauis læditur uaporibus ex humore genitis in uentriculo collecto. Proinde illos humores cōfeſtim uomitu euacuari, poſtea uentriculū corroborari oportere, quibus autē uomitus perquàm difficilis eſt, boni ſucci cibū, & qui uentriculū roboret, lotis exhibendū, prius quàm amara bilis ad uētriculū trāſmittatur, quòd ſi ante balneū his aliquid ſumere neceſſe erit, tantū panis tertia, uel quarta diei hora ſumendū, quantū eo tēpore ſit confectū, quo balneū ingredi ſunt aſſueti. quibus uero ante balneū ſolū panē ſine obſonio eſſe nō placet, cū palmulis, aut oliuis, aut aliquo id genus præbendum: deinde quū cœnauerint, die ſequēti abſynthij potionē bibendam. in ſexto enim de tu. ſa. & vij. meth. med. cap. xj. dixit Gal. abſynthio uim eſſe tenues humores in uētriculi ſpatio cōtentos euacuandi, ac ueluti tunicarū uentris ſordes detergendi, qui uero altius in eo imbibiti ſunt humores, id medicamentū, quod hieram picrā nominant, extrahere. Ex hac inquā, curādi ratione facile eſt colligere, uoluiſſe Gal. ut his plus in cœna, quàm in prādio exhibeatur, quādo poſt balneum cibos boni ſucci eos ingerere præcipiat, ante balneū autem hora diei tertia, uel quarta, uel panē ſolū, uel cū palmulis, aut oliuis, & id genus, eſitare concedat. Ex ea quoq; colligitur, Gal. his potionē purgātē exhiberi noluiſſe, niſi

niſi in die præterita cœnam aſſumpſerit, qua, ubi illa hora febre corriperētur, aut aliqua ſimili cauſa, opus eſſet eos abſtinere. Quū itaq; Auic. quæ Gal. dictis in locis late cōplexus eſt, eo capite ueluti in cōmentariū redegerit, nec Gal. in hoc cōtradixerit, nō ergo credē dum eſt, ipſum Auic. ea uerba ſcripſiſſe, Et oportet ut ſerues cœnas eorum &c. quoniā cenſuerit, melius eſſe eos, aut cœna abſtinere, aut ſaltē in ea minus, quàm in prādio aſſumere, ut Gentilis, & alij recentiores expo ſuere, ſed potius id ſenſiſſe, quod Gal. præcepiſſe diximus, ut potionē purgantē nō bibant, niſi in die præterita cœnauerint. Ideo dixit Auic. & oportet, ut ſerues cœnas eorū, id eſt, nō exhibeas purgās pharmacū, niſi cœnauerint, quare And. Bellun. in ſuis caſtigat. adnotauit, in alio codice legi, Et oportet ut obſerues cœnas eorū &c. Ex hoc colligere licet, male à nonnullis purgans pharmacū mane exhiberi, quū in die præterita aliqua cauſa æger cœna abſtinuerit. Quū enim pur gans medicamentū corpus exinanire, atq; exiccare ne ceſſe ſit, Itidē & inedia idē efficiat, ſi quis omiſſa cœna ſequēti die potionē ingeſſerit, quæ uim habeat humores educēdi, magis quàm par eſt, exinaniri, atq; exiccari cōtinget. Hac igitur de cauſa dixit Gal. ſi cœnauerint, die ſequēti abſynthij potionē ſumāt. Et Auic. & oportet ut obſerues cœnas eorū &c. ſcilicet quū eos purgare uolueris. neq; enim purgandi ſunt, niſi cœna præmittatur. Sed dicet forte quiſpiam, Andreā Bellunenſem in ſuis caſtigationibus adnotaſſe, aliud exemplar inueniri, in quo legatur, Et oportet ut alleuies

cœnas ipſorum &c. quæ lectio uideatur fortaſſe Gẽti lis, & aliorum recẽtiorum expoſitioni adſtipulari. Si quis enim obſtinate uellet cõtendere, locum illũ eo modo legi oportere, ſciat neq; etiã eam lectionẽ opinioni noſtræ refragari. Neq; enim dixiſſet Auic. cœnã minorem prãdio eſſe debere, ſed potius melius eſſe, ut in cœna minus cibi ſuſcipiant, quàm quũ ſani ſunt, ingerere ſolẽt. Cõſtat itaq;, quocunq; modo locus ille ſcribatur, ab eis omnino perperam interpretari. Inſuper, quòd in cerebri affectibus melius ſit plus prandere, quàm cœnare, tali quoq; ratione probare nitũtur. Cũ enim cõmunis medicorũ ſchola præcipiat, ut eſuriãt, uigilent, ſitiant, qui rheumata curãt, quî enim id fieri poterit, ubi hi liberalius cœnauerint? illud enim præcipitur, ut ea ratione corpus exiccetur, ac humor catarrũ efficiẽs reſoluatur, hoc autẽ uberior cœna fieri prohibet: corpus enim humidius reddit. Sed huic rationi ſufficiẽter me reſpõdiſſe arbitratus fuero, ſi declarauero, qui tenuius prãdent, uberius aũt cœnãt, id præceptũ melius ſeruare, ꝗ qui cõtra faciũt. Enimuero in primis illi eſurire præcipiũtur, ut corpus exiccetur: famem enim ex accidẽti corpora exiccare, eſt minime dubiũ, dixit Gal. in expoſitione lix. apho. vij. par. quãdo humiditates in animalis corpore cõtentæ in uapores reſoluãtur, atq; per difflationẽ euacuẽtur, hoc aũt melius efficietur, quo tẽpore uapores per difflationẽ facilius poterũt euacuari. Verum in uigilijs id melius fieri, & ex Gal. colligitur xij. meth. me. ca. iij. & ipſos fateri neceſſe eſt, quũ poſt inediam uigiliæ quoq; eadem

dem ratione præcipiantur. Si ergo in uigilijs eos eſuri re opus eſt, igitur in prandio, aut nihil, aut parum eis licet eſitare, neq; enim, ſi ſecus fecerint, eos eſurire cō tinget, licet enim parū eos cœnare permittas, nō tamē in nocte illos eſurire, pariter nec ſitire cōtinget, quā doquidē in ſomno ſenſus quieſcere manifeſtū eſt. Eodē pariter modo uigiliæ præcipiuntur, ut humiditatibus reſolutis, & per difflationem euacuatis, corpus exicce tur, quam nimirum exiccationem copioſius prandium prohibebit. in ſecundo enim de ratione uictus ſcripſit Hippo. *Semel die comedere, emaciat, ſiccat, uentrē ſi ſtit, nī animi calor humidū uētris, & carnis cōſumit, prandere uerò cōtraria facit, & ob id quū æſtate aeris caliditate corpora nō modice exiccētur, dixit* Hippo. *in tertio de ratione uictus, &* Celſus *in primo de re med. ca. iij. tū prādere cōmodū eſſe. At in hyeme, quia contrarium fit, aiunt, eſſe melius ſemel comedere, niſi nimis uenter aſtrictus eſt, tum enim ut parū prandea tur, concedunt. Præterea, quum alimentum non perdu catur ad cerebrum, niſi concoctiones in uentriculo, he pate, ac uenis peractæ ſint, ex cibo mane ingeſto cere brum in nocte nutrimentum capiet, quo tempore dor mit animal, quare tunc cerebrū magis humectabitur, augebiturq; humor catarrum efficiens. At ex cibo in cœna ſumpto nutrimentum in die cerebrum accipiet, quo animal uigilat. proinde non tam cerebrū, perinde ac in ſomno, poterit humectari, quando humidæ cere bri ſuperfluitates in uigilijs poſsint facilius per diffla tionē purgari. Nec dici poteſt naturam prouidentiam*

habere, ut ſuperfluitates excernãtur, quare in ſomno cerebri ſuperfluitates, aut extra per difflationem, aut ſaltẽ, ut in ſuperioribus dicebatur, ad partes cuti proximas expellentur. Quippe, quũ, aut cerebro nutrimẽtum male cõcoquẽte, catarrus fiat, ut docet Gal. vj. de ſymp. cauſis, ca. iiij. aut ſaltẽ affectio, quæ catarri cauſa eſt, ipſum cerebrũ probe nutrimẽtũ cõficere prohibeat, nõ igitur ea fieri poterũt, quæ in matura concoctione fieri cõcedẽdũ eſt. Nec ualet, ꝙ in ſomno ex uberiore cœna corpus humectetur, ac humor catarrũ efficiens augeatur, quũ enim corpus omnino nutriendum ſit, & calor in uigilijs ſiccior redditus humectari deſideret, tantũ cibi eſt ſuppeditandũ, quanto utrunq; cõmode fieri poßit, qui cibus tamẽ eo tempore debet exhiberi, quo melius cõfici poteſt. neq; enim ea probe fierent, niſi alimentũ etiam probe conficeretur. quod autem in ſomno probe fiat alimenti concoctio, necnon & calor naturalis congrue humectetur, nunc non eſt opus declarare, ex ſuperioribus enim hæc ſatis manifeſta ſunt. Tanto igitur tempore eos dormire permittendum eſt, quãto, & nutrimentum probe concoquatur, & innatus calor humectetur. quod ſi ultra, quàm par eſt, dormire perrexerint, excitandi ſunt, neq; enim illa caloris humectatio catarris officiet, quãdo illa à uaporibus ſuauibus parũ à ſpirituũ ſubſtantia diſtantibus, ut ſuperius dictum eſt, efficiatur. Adde quod quum in ſomno cerebrum minus poßit uaporibus oppleri, ut ex ſuperioribus patuit, & alimentum in cœna exhibitum in die ſequẽti deferatur ad cerebrũ, ex cibo ingeſto mi

ſto minus in ſomno moderato, quàm in uigilijs humidũ reddetur. Sic itaq; cenſeo, ſatis aperte declaraſſe, qui modice prãdent, liberalius autẽ cœnant, id præceptũ, eſuriant, uigilent, ſitiant, qui rheumata curant, melius ſeruare, quàm qui cõtra faciũt, & ob id illorũ rationẽ nullã eſſe. Quũ igitur ſatis oſtẽſum ſit, illorũ rationes nihil efficere, & autoritates adductas, aut ab eis perperã intelligi, aut indigere caſtigatione, Reliquũ eſt, ut nõnullæ autoritates in mediũ adducãtur, quæ quidẽ tametſi his qui à nobis diſſentiũt, opitulari uideantur, nullã tamẽ de illis (quod uiderim) mẽtionẽ fecere. Eſt in primis Galeni autoritas in expoſitione lxvij. Aphoriſ. quartæ parti. ubi Gal. declarãs quomodo in febribus ex ſomnis timores, uel conuulſiones fiant, ſcripſit in hũc modũ, Et quidẽ ſicut à cibo ad ſomnũ conuerſis impletur caput, ſic in plethoricis diſpoſitionibus ſomni ipſum replentes aggrauãt cerebrũ &c. Et paulo infra inquit, Nõ ſolũ autẽ in cerebro ipſo mali humores aceruati tales afferũt caſus, ſed & in ipſo ore uentriculi, quare & in ſomnis magis euaporãt, quũ incocti permaneãt &c. Præterea Auic. & Auer. in pri. Can. cxxxix. & in. ij. eiuſdem. xl. inquiunt, ex ſomno longiore, quàm par eſt, impleri caput uaporibus, & præſertim ſi is, in quo fit ſomnus, ieiunus fuerit. Et in eadẽ. ij. Can. xlj. Auer. ait, ſomnos, qui cibos ingeſtos excipiũt caput uaporibus opplere, uigilias aũt illi repletioni eſſe impedimẽto. Porro, ſi hos locos aduerſus noſtrã opinionẽ haudquaquàm pugnare monſtrauero, nullum puto his, qui aduerſam hæreſim defendũt.

locum reliquũ fore, ad quẽ liceat eos confugere. quæcunq; enim aduerſus uerã hanc opinionẽ, & excogitari, & adduci poterunt, tum ex dictis, tum ex dicendis, facile ſoluentur. Animaduertendum eſt igitur, nos non arbitrari, quã obſtructionẽ in ſomno fieri dicimus, tãtam eſſe, ut uapores eleuati nullo modo ad cerebrum penetrare poßint. quẽadmodum enim Gal. in quarto de ſymp. cauſis, ca. viij. ſcripſit, ut etiã in priori libro diximus, in ſomno exiguã quãdã à cerebro ſentiendi facultatem in reliquas partes defluere, tãtoq; minorem, quãto ſomnus fuerit grauior. Ita quoq; aſſeueramus, in ſomno minorẽ quãtitatẽ exhalationis, quàm in uigilia, poſſe ad cerebrum pertranſire, tãtoq; minorẽ, quanto grauior fuerit ſomnus, quum obſtructio tũc maior ſit. quod nimirum ueritatẽ habet, ubi exhalationis quantitas in ſomno multo maior, quàm in uigilia, non exiſtat, tũ enim ob immodicã uaporũ quantitatẽ, tametſi meatus non ita pateant, maiorẽ capitis repletionem in ſomno fieri, conſentaneũ eſſe uidetur. Inſuper quod in ſuperioribus de uaporum generatione ſcripſimus, hic quoq; repetẽdũ eſt. Ex optima ſcilicet ciborũ cõcoctione moderatã ſuauiũ uaporũ quantitatẽ generari, aliorum autẽ paucã. ubi uerò calor ita fuerit imbecillior, ut cibos quidẽ quodã modo diſſoluere, nõ aũt penitus conficere ualeat, paucos bonos, plures autẽ malos exoriri. His aũt addendũ eſt, ꝙ ubi calor fuerit ualidior, nec cibos habuerit, quos conficiat, ſuperfluitates, ſiue humores in corpore cõtentos aggredietur, ex quibus, ſi bonã cõfectionẽ nõ admiſerint, prauos producet ua-

pores

pores, tãtoq; plures, quanto calor fuerit fortior, & lõgiori tẽpore in illos aget humores. Ex his modo ſic declaratis facile eſt oſtẽdere, prædictas authoritates ueræ opinioni minime refragari. Nam in plethoricis diſpoſitionibus dixit Gal. ſomnos caput replere, quoniã calor ad interiora coactus in humores agit ex quibus plethorica fit diſpoſitio, quos quũ nõ poßit probe cõcoquere, ueluti agitat, concutitque, quare ex eis multos uapores eleuat, qui multitudine poſſunt caput opplere, quod in uigilia nõ cõtinget, tametſi meatus magis ſint reſerati. neq; enim calor tũc ad extimas partes motus humores illos tã ualide poterit ueluti agitare, atq; concutere, ut ex eis tãta uaporũ multitudo, quãta in ſomno, procreari poßit. Eodẽ pariter modo ex prauis humoribus in ore uẽtriculi collectis, calor in ſomno ad interiora ſe colligẽs multos, & malos generat uapores, quos in uigilia propter rationẽ iam dictã generare nõ poteſt, quos etiã in ſomnis nõ generaret, ſi eos humores calor naturalis poſſet probe cõcoquere. Et hoc ſenſiſſe Galenũ ex uerbis in expoſitione adductis, facile conſtat, inquit enim, quare & in ſomnis magis euaporant, quũ incocti permaneãt, quaſi dicere uoluerit, quod ſi incocti nõ permanerẽt, nõ magis euaporarent, quare ſubdit, coctiones, utiles ſomnos inducere. Eadẽ ratione, ſiquis ieiunus dormierit, aut diutius quàm decet, multos malos uapores in eo gigni neceſſe eſt. Quippe ubi calor cibos conficiẽdos nõ inuenerit, in ſuperfluitates aget, quas quum non poterit recte concoquere, in uapores mutabit, ubi uerò cibos conficiendos in-

uenerit, eis confectis ſi adhuc dormierit homo, tūc calor, aut in alios humores, uel ſuperfluitates aget, aut cibos iā probe cōfectos ſuperflue cōcoquet, quare multi, & praui uapores ad implēdū cerebrū apti utroque modo procul dubio gignentur. Quod uerò dicit Galenus, à cibo ad ſomnū cōuerſis impletur caput, utiq; ueritatē habet: quū enim ſomnus ex obſtructione proueniat, de qua ſupra facta eſt mētio, quæ quidem obſtructio ex uaporibus cerebri frigiditate craſsioribus redditis, & retrocedentibus efficitur, ut ex Ariſtotele colligitur in libello de ſom. & uigilia, igitur prius quàm dormiat animal, caput uaporibus oppleri neceſſe eſt. quare dixit Galenus, à cibo ad ſomnū cōuerſis impletur caput. neq; enim dixit, dū animal dormit, impletur caput, ſed quū à cibo ſe ad ſomnum cōuertit. Quod ſi etiā concederetur, Galenum uoluiſſe, caput tunc per quietē uaporibus repleri, Vtiq; id ei adſtipularetur, de quo in his, quæ cōtra conciliatorē ſcripſimus, facta eſt mentio. ibi enim dictum eſt, non congruere ingeſto cibo ſtatim ſomno indulgere, quando cibus in parte ſuprema uentriculi contentus probe concoqui nō poſsit, ut in quinto de affectorū loco. noti. capite quinto Galenus ait. neque enim uētriculus tū poteſt cibos arcte complecti, quod ad bonā coctionem eſſe maxime neceſſarium, ſcripſit Galenus, in tertio de potentijs naturalibus, capite quarto, quare multos uapores gigni neceſſe eſt, qui ſua multitudine caput replere poſſunt. Et propterea dixit Galenus à cibo ad ſomnū cōuerſis, id eſt qui ſumpto cibo ſtatim dormiunt, impletur caput

put. Vt igitur huiuſmodi noxa euitetur, lenta deambulatione, aut aliqua huiuſmodi leui exercitatione, corpus dimoueri opus eſt, ut cibus imum uentriculi petere poßit, prius quàm homo ſomno indulgeat. Et *hac de cauſa dixit* Auer. *loco ſuperius adducto, ſomnos, ac uigilias ciborũ coctioni congruere, quando in ſomno melior fiat concoctio, uigilijs autẽ uapores ad caput efferri ea ratione prohibeãtur.* Quare Haliab. *primo prac. capite.* xiij. *conſulit, ut ante ſolis occaſum cibus in cœna ſumatur, ut quo tẽpore dormire oportebit, ad imũ uentris deſcenderit, his uerò, qui ſtatim aſſumpto cibo ſomno ſe tradũt,* Auer. *præcipit loco citato, ut erecto capite dormiant, donec cibus ad uentriculi inferiora deſcenderit, ſic enim maiorem noxam euitabunt.* Licet *enim ſufficienter declaratum eſſe cenſeam, minus in ſomno, quàm in uigilia, caput impleri uaporibus, ubi ſomnus moderatus ſit, & uentriculo cibum arcte complectente probe fiat ciborum concoctio.* Attamen *illud ſilentio non præteribo, quod, & ſi illis daremus, plus in ſomno, quàm in uigilia, caput oppleri uaporibus, quoniam uapores illi, quum alimentum mature concoquatur, ſuaues ſunt, ideo plus utilitatis, quàm nocumenti afferrent, in his etiam, qui aliqua capitis ægritudine premerẽtur.* Quippe, *ut in tertio de cauſis pul. ex* Galeno *colligitur, in uigilia ſpiritus ſiccitatẽ acquirũt.* Iccirco *natura diſpoſuit, illos in ſomno ad interiora ſecedere, ibiq́; uaporibus illis ſuauibus ex cibo recte cõfecto genitis humectari, ac deniq; propriũ tẽperamẽtũ reſumere.* Quapropter *ut natura (ſicut in ſu-*

perioribus ſcripſimus) malos uapores ſecernendi, ità hos bonos retinēdi prouidentiā habet, quādo hi uapores à ſpiritibus paruo diſcrimine ſeiuncti ſunt, ex his enim parua in ipſis tranſmutatione facta ſpiritus generantur, cuius indiciū eſt, quoniā hi uapores eaſdē efficiūt operationes, quas efficit calor naturalis, ut ex Galeno colligitur in quinto de ſimpliciū medicamentorū facultatibus, dis. ſecūda, cap. V. *Proinde ut ſpiritus, ita uapores hi noxam effatu dignā afferre nō poſſunt his, quibus caput ægrotat, quibus liberalius pranſis, tametſi nō tanta uaporū copia caput impleretur, quoniā tamen cibos nō ita probe cōficerēt, ut ſatis ſuperq; declaratū eſt, uapores ex illis cibis geniti, quia mali eſſent, maius nocumētū afferrēt. Quare tale quid nos dicere liceret, quod in quarta particula* Aphoriſmorū *expoſitione citata ſcripſit* Galenus *in hūc modū,* Et *ſomni uidelicet ſemper nocerēt, quatenus ad profundum, & uiſcera materia fluit, niſi coctionis ratione plus afferrent utilitatis, quàm ſit dānū, quod ex motu ad interiora cōſequitur, & cætera.* His *itaq; cenſeo ſatis manifeſtum eſſe, authoritates proxime adductas non efficere, melius eſſe plus in prandio quàm in cœna ſumere. Quod quū optime declaratū ſit, conſtare iam arbitramur, nullis rationibus obſtantibus, necnon & authoritatibus, tum ſanos, tum ægros (his tātum exceptis, de quibus in priori libro meminimus) ſatius eſſe plus in cœna, quàm in prādio eſitare.* V*erum puto id non eſſe prætereūdum, quod qui oculos habent aliqua affectione laborantes, & imbecilles, in cœna non paruā debēt*

ratio

rationem habere, quandoquidem error in his, quatũ-cunque paruus, noxam inferret, qui forte alijs capitis affectibus non officeret. ſunt enim meatus, qui à naribus ad oculos protendunt, qui quum in ſomno non obturentur, per eos ſine impedimento uapores ad oculos efferri poſſunt. Sed quoniam, ut paulo ante dicebatur, maior eſt utilitas, quam coctionis ratione ſomni efficiunt, quàm ſit detrimẽtum, quod ex paucis uaporibus ad oculos in ſomno forte fortuna elatis conſequi poteſt, hos quoque melius eſſe liberalius cœnare, quàm prandere (quicquid alij ſenſerint) non dubitamus. Nõ me latet, quàm plurimos non defuiſſe, qui hanc ueram opinionem quibuſdam leuibus rationibus reijcere conati ſunt, ſed quoniam noſtrum non eſt impræſentia, eorum ineptias penitus refellere, eas rationes omittere, ſatius eſſe arbitror, præſertim quum ex his, quæ hactenus ſcripta ſunt, facilis ſit eorũ ſolutio. Hæc itaq; ſufficiant ad ueram opinionem tuẽdam. Quam quidẽ, tametſi à pleriſq; noua eſſe exiſtimetur, tamen nemo, uel mediocribus literis imbutus, inter antiquorum placita ex ſuperioribus enumerandam eſſe dubitabit. Verum, quum per multa ſecula ob temporum iniuriã ueluti ſepulta iacuiſſet, Primus Matthæus ille Curtius hac ætate medicorũ omnium facile princeps, cui medicam facultatem nõ minus debere, quàm Galeno perſpicuum eſt, tanquàm ab inferis ad uitã reuocauit.

FINIS.

PARASTASIS DE PRANDII ET COENÆ RATIONE,

Autore magiſtro PETRO TOLETO medico doctore, quæ vice prælectionis erit eorum quæ ab Odo dicuntur, vnà cum refutatione rationum, quas adduxit Turinus vir ſane de re medica bene meritus in Matthæum Curtium.

QVICQVID *conſtruit manus mortalium ſcriptorum, hoc dictante intellectu, qui ſolius rationis eſt capax, id unũ aſſequitur, ut patres antiquos, ueteréſque autores & geſta eorum, & libros intelligentia cõſequamur, quod Græci à Latinis mutuati & Latini à Græcis fecere, linguarum uſu, & interpretatione, quæ nunc incremẽtum non mediocre aſſumpſit, ab multorũ, uel omnium ſcriptis. Quoniam igitur non ſolum non impigre prætermiſſum, ſed & occultatum, quod maiores noſtri ſcriptum reliquerant, à multis uideo, qui repurgatione egent, quiq; Galenum, quid dico Galenum? imo ſe ipſos ementiuntur, quos mala & ficta hypocriſis perdat, reſtituimus nobis, quibus ma-*

gis quàm nobis ſtudemus, ueſtrorum ciborum, hoc eſt prandij & cœnæ rationem, & præſcriptionem, quæ ſi coacta non fuerit, iuſta eſſe poteſt, ijs, qui ſe ipſos uincendo, uincunt & cæteros. Neq; ijs ſcribimus, qui rationem uitæ non habent, ſed uentri, deſidiæ, ſomno, & Veneri ſtudēt, abūde & helluāter quicquid in manus cadit, hauriūt, quos his uerbis Satyric. apte deſcribit:

Quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum?
Pœna tamen præſens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pauonem in balnea portas.
Hinc ſubitæ mortes, atq; inteſtata ſenectus.

Sed ad rē propius pergere uocamur magis quàm ſatyricū agere, nā id negotij furioſis deſtino uniuerſale documentū accipiētes, ut abūdātiā, & ſuperfluā ciborū cōgeriē ſuper omnia uitemus, quæ teſte Gal. morborū frigidorū cauſa exiſtit, quā etiā redūdantiā appellat. A qua, aut ſucci uitio omne qd' corpus affligit oritur. Quare obſeruāda eſt menſura ciborū, & ita ut ab his nō ſuperetur & uincatur naturalis facultas, quæ cōcoctrix eſt. Porro uehemens enim ſaturitas, & crapula innatū calorē ſuffocat & extinguit. Igitur propoſita, & interdicta crapula, ad rei exordiū accedamus, initium ſumētes ab Hippocrate, aphoriſm. libro primo 17. aphor. Et quibus, inquit, ſemel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat adferre conſiderandum. Aliquid autem tempori, ætati, & conſuetudini condonandū. Hæc ille. Quibus præcipit aliquos ſemel tātum debere refici, aliquos uero bis. Alios

in cœna

in cœna parcius, & reliquos largius, quod idem non omiſit, ubi de conſuetudine aut immutanda, aut obſeruanda in libris de regimine acutorum morborum diſputat. Sed horum omnium rationes in utranq; partem ſtructas adferamus, ne Arabas omnino neglexiſſe uideamur, quamuis Galenum non plane intellexerint, aut intellectum neglexerint barbarorum more. Quæſtionem profecto non dubiam, ſed certiſsimã dabimus, ſi principio Galeni rationes adferantur, quas pro oraculis ego habeo, quæq; præcepta ſalubria dicuntur ad eos ſcripta, qui ſibi uiuunt, extra omnẽ ſeruitutẽ, quos ἰδιώτας *Græci appellant. Etenim hoc omnibus in confeſſo eſt eos qui militant, aut iter faciũt, aut etiam pugnãt, ciborũ delectũ, quibus ſcilicet cibis ueſci aut nõ oporteat, non habere, quando his uti cogitur quiſque, quorum datur facultas. Set incipiat rem Gal. ſtabilire & firmare, cuius hæ ſunt ſententiæ, Experientia, inquit, uice normæ ſemper habenda eſt, neq; aliquid pro utili ſcribendum cuius experientiam non habueris, niſi id teſteris, tibi adhuc non eſſe expertum. Ergo, quod ego ſum præfatus, magnæ eſſe utilitatis accipe. Nempe poſtquàm boni ſucci cibis in cœna modice ſe impleuerit, ad ſomnum conuertatur, die uerò poſtero cum ſatis dormierit, linteo fricetur, mox exiguo interpoſito tempore, aliquid panis bene fermentati, & furno co cti, ac puri ex uino mixto guſtet, atq; ita ad opus conſuetum redeat. hæc ipſe dixit. Idem etiam adſtruit, therau. ſeptimo, & libro de epilepſia, à qua opinione nõ diſcedit Auicenna, qui ſe Galeni interpretem appel-*

lat, ſi locus reſtituatur, qui nō ſine næuo legitur, quod eſt probabile. nam Raſis *qui per omnia* Auicēnam *eſt ſequutus, magis quàm* Galenum, *identidē affirmet nono ſui continentis, capite de epilepſia.* In eo *etiam* Galeni *uolumine de cibis boni maliq́; ſucci, idem docetur.* Et *ut rationes* Galeni *minime ſileam, huc adferendum & adijciendum eſſe duxi, quod ab* Hippocrate *omnium bonorum autore (ut dicit) in eam ſententiam ſcriptum eſt.* Affirmat Hippocrates *ſecundo aphoriſmorum, labores cibos anteuertere: hinc colligit* Galenus, *qui ſolius* Hippocratis *eſt cōmētator, parcius prādendum, liberalius uerò cœnādum eſſe.* Nam *cibus præ multitudine ingeſtus, quiete, & ſomno cōcoquitur & elaboratur, uigilia uerò digeritur & diſtribuitur.* Porrò *totam corporis ſalubritatem tribus conſtare nemo eſt qui ambigat, exercitio, reſtauratione, & quiete.* Exercitio *multa conſumuntur, aut per occultam tranſpirationem uel perſpirationē, aut manifeſto, & hoc excrementorum rationem habet.* Reſtauratione *multa etiam perficiuntur.* Nam *replentur inanita, & quæ ſenſus ſunt capacia, reſtituimusq́; quicquid ſiccioris ſubſtantiæ effluxerit cibo, quicquid uerò humidioris potione, quod quotidie, imo uerò cōtinuò, propter inſitum calorē defluit.* Quiete *uerò paratur cibi & potus uera elixatio, quæ eſt digeſtionis ſpecies.* At *digeſtio facta perfectio eſt à naturali calido uim obtinente in paßiuis oppoſitis, quare indigeſtio imperfectio erit, ob propriæ caliditatis indigentiam.* Quod *ſi exercitio meliorem, & celeriorem concoctionem di-*

Tota cœnæ liberalioris ratio.

cas: tunc facile te uinces. Nam *calor qui auctus labore datur, non propria dicitur caliditas, ſet potius extraria, ab illo primo & irrefragabili pronunciato, quod omnis motus eſt calefactiuus, & tunc concoctio calidi ſuſtinebit exceſſum, fietq; aduſtio magis, quàm digeſtio.* Ex *quibus omnibus elicio alimenti digeſtionem elixationi ſimilem eſſe.* Quare *hoc ordine ſeruato, inculpata erit ſanitas noſtra, quæ, quò breuior, eò magis debet prorogari: quod fieri minime poteſt, niſi artem attingamus, quæ, quantum poteſt, naturã imitatur.* Nec *te moueat uinitorum, & agricolarum uita, quam uulgus imperitum in noſtræ artis refutationem (quæ tota diuina eſt) toties mihi obiecit, cui ego in ſumma reſpondeo, eos ſomno profundiſsimo iuuari, quem ſi negligant, ſtatim morbo corripi neceſſe eſt.* Et *etiam illa edulia (quæ ſola relatione praua dicuntur) ipſorum naturis conuenire, cognationemq; habere cum ipſis, ea quæ concoquũtur, dicimus, quod Galenus apertiſsime docet libro quarto tuendæ ſanitatis, his uerbis,* Nec, *inquit, omnis cibus in cuiuſuis animalis uentre concoquitur, ſed cognatio quædam ei quod concoquit cum eo quod cõcoquitur eſſe debet.* Ex *quibus colligito duo eſſe, quæ & bona, & mala edulia in ruſtico digerunt, ſomnum profundum, & cognationem, ſicuti uidemus cicutam ab animalibus (quæ uolatilia ſunt) propter cognationem naturæ digeri.* Quare, *ne ab inſtituto recedam, poſt iacta fundamenta à* Galeno & Hippocrate *cœnæ largioris, ad Arabas ſe conuertat oratio, qui haud refellentur, & reproba-*

Vide de agricolarũ uita rationem.

Duo ſunt, quæ concoctionẽ uariorũ cibariorũ in ruſticis perficiunt, cibi cognatio, & ſomnus profundus.

buntur ubi bene dixerint, ubi uerò minus bene, defenſioni non erit locus. Nam quæ perperam conſtituta ſunt, ad rectitudinem deducenda ueniunt. neq; eſt (ut etiam Græcos comprǽhendam) in rebus mortalium aliquid quod ex omni parte ſit abſolutũ, quodq; per ſingula temporum monumenta mutationem nõ recipiat, & emẽdationem non mereatur. Set primum Auicennã proponamus, qui tertia ſectione (fen enim dicunt) primi canonis, prandium cœna liberalius eſſe cupit antiquorũ (hoc eſt athletarũ) more, qui mane carnibus uescebãtur, ſero uerò pane erãt cõtẽti. Verũ Auicẽna relicto, ad Turinũ ſtrenuũ Arabũ ducẽ accedamus. Argumẽto eſſe poteſt apologia conuicioſa, qua Curtio uiro cõſummato flagitioſe cõuiciatur, cuius doctrina ubiq; ſoboleſcit, poſt tot labores, poſt toties ſaxũ ab eo reuolutũ, quæ plus minus'ue annos quinquaginta in arcanis rei medicæ enarrandis impẽdit & diſtribuit. Neq; quietem uelut ſenex emeritus ſuis ſtudijs, & laboribus publicis impetrauit, donec à morte, quæ nemini parcit, uadimoniũ ſignificatũ ſit, & tũc uox illa indefeſſa, & ferrea, nõ ſine reipu. literariæ iactura perijt, ſet eũ ſic impetit & repellit, ut homicidij inſimulet, fictiõe nõ cõtẽtus, quaſi uita, aut mors ab hominibus pẽdeat, mortiq; potius, quàm uitæ hominum ſtuderemus, bona interim pace impetrata illũ audiamus Turinũ, q̃ curſum Curtij haud impediet, cuius hæc ſunt uerba:

[Margin: Hoc de athletis intelligas.]

[Margin: Cationes Turini in Curtium.]

Magis accurate ſcripſit Odus diſcipulus, qui plus prandere ſolitos quàm cœnare excipit. Quicquid de cœna & prandio pronunciauit Curtius hoc deſcripſit

pſit uerius quàm tranſcripſit Odus quod in lucē edidit. Nos Galeni æmuli ſumus. Nos opiniones Curtij uolumus iugulare qui nouarum opinionum eſt autor. Quinq; ſunt cibariorū genera. Cœna nomen eſt antiquū quod pro prandio ſumebatur: ſumebāt nāq; antiqui tribus horis ante ſolis occaſum, quæ hora nona dicebatur. Auicēna alteras partes in prandio, tertiā uero in cœna dabat, ne uapores caput aſcenderent. Hæc ſunt Turini monumenta non prorſus ocioſa, quæ magis ad coruos, quàm ad Chriſtianos medicos ſunt relegauda, quibus nos facit dignos, ut illi nihil nō debeat tota medicorum ſchola, quibus ſic reſpondeo, & exinde finem mihi conſtituo. Ad primum deuenio, cui ego ſecundum adiungo. Vult Turinus Odum doctiſſimum Curtij diſcipulum omnia (quæ Curtius præceptor affirmauit & docuit) deſcripſiſſe potius, quàm conſcripſiſſe, eūdemq; melius, quod citra controuerſiam minime fieri poteſt. Porrò demus diſcipulū præceptore doctiorem, quid inde ſequetur ne erit hoc totum præceptoris, gratia reſtitutionis non referetur reuerentiaq; tolletur? abſit. Nihil enim habemus, quod non acceperimus à dijs, parentibus, atque magiſtris, quibus religionem ac fidem debemus. Neque Alexander Macedo Ethnicus quondam ſummus monarcha ſui præceptoris Ariſtotelis uſquam immemor fuit. Cuius extat iamiam Latino ſermone à Viuantio Galterotio donata epiſtola ad Ariſtotelem de rebus Indiæ mirabilibus, qui ſic exorditur: Semper memor, inquit, tui fui etiam inter dubia bellorum noſtrorum pericu-

la chariſsime præceptor ac ſecundum matrem meam ſororesq́; meas acceptiſsime quando te philoſophiæ deditum noueram, ſcribendum tibi de regionibus Indiæ ac de cœli ſtatu innumeriſq́; ſerpentum, hominum, ferarumq́; generibus exiſtimaui. hæc ille. Sed ad reliqua progredior. Nos, inquit, æmuli Galeni ſumus, quod ego facile crediderim, quòd imitari non poſſet. nam ijs inuidemus, operaq́; eorum multis linguæ maculis aſpergimus, quos aut ſuperare, aut imitari nõ poſſumus. Quinq; ſunt (ut uult) ciborum genera, quaſi nõ contenti, ij ad quos Galenus ſcribit duobus, & quorum ſanitatẽ uult ſeruari, quod iam admonuimus ubi de plebe alioqui fæce populi ſermonem fecimus.

Nos uolumus opiniones Curtij iugulare. medici nõ eſt officium, ſed potius carnificis iugulare, neq; abſq; iugulo (hoc eſt abſque ratione) iugulare potes. Cœna ambiguum eſſe antiquis uocabulũ, hoc ego fateor, quòd cœnam cum prandio ſumerent unica menſa utẽtes, nam hora nona quæ eſt tertia ante ſolis inclinationem accipiebatur cœna, quòd uero poſt illam aliam ſumpſiſſent, hoc tolerabile non eſt niſi noctẽ inſomnẽ duxiſſent. Quare, amice lector, cœnæ & prandij rationem uultu non ingrato accipe, neque naſum ſtringas, ſi quid eſt quod aures tuas offendat, ſet boni potius conſule humanæ imbecillitatis non immemor: pluribus enim quàm neceſſe fuerit egimus, ſet urgebat nos ueritas, quæ filia eſt temporis, quæq́; in diſciplinis maxime candicat, alioquin futurum diluuium neceſſario eueniret, omniaq́; in peius corruerent. non enim

debet

debet ueritas in controuerſiam trahi, ſet ſic nobis male placemus, ut iam ſit hoc tritũ & lippis ac tonſoribus notum turbam medicorum perturbationẽ & ſermonum inconſtantiam adferre. Quod Hippocrates in libris de regimine acutorum deteſtatur. ſanè inſit huiuſcemodi quæſtiones, medici neque proponere, neq; propoſitas explicare conſueuerunt. Quamobrem populares graui admodum calumnia uniuerſam artem damnant, perinde ac ſi nulla uideatur eſſe medicinæ profeßio. Tanta enim eſt artificũ pugna, ut quod unus ſaluberrimum id alter protinus pernicioſum eſſe contendant. Quare poſt tot ſectas & hæreſes propter quas Cicero dolens Deum nõ cognoſcere dicebat, uni rei adhæreamus, & eam mordicus teneamus, ſic fiet, ut tota illuſtretur ars, radioſq; effundet per totum orbẽ. Et ubi ſilentio opus erit, ſileamus, ubi uero inſtructione, inſtruamus, neque ego uererer à puero abire doctior. Quare alter alteri non ſimus carnifices, quod his uerbis ſolet fieri, Quum occidit, prior nõ fui uocatus, Iuuenis eſt medicus, ego iam habeo canos à quibus repueraſco, & cætera id genus, quaſi ab ipſis potius, quàm à CHRISTO *(propter quem immortaliter gaudemus) uita pendeat. Valete, & melius ſapite, ac uiuite.*

Varia multorum ſcripta ignotã reddunt artem.

FINIS.

Soli Deo honor.

Vniuerſalis mor BI ARTICVLARIS PRÆ CAVTIO ET CVRATIO

(quem Podagram dicunt)

Autore magiſtro Petro Toleto doctore medico.

CVM TOT, *& tales uiros eo morbo (quem podagrã dicunt) grauiter, ac permoleſte conflictari intelligerem, & ita ut à ualetudine impatibili odium uitæ ſumpſiſſent, Chriſtianum eſſe duxi illorum deſiderijs morem gerere, hoc eſt auxilium adferre, & podagram beſtiam profecto truculentiſsimam, ita obtrũcare & euellere, ut nullum inde renaſcatur caput. Nã hydræ multicipiti non diſsimilis, cui multa renaſcuntur capita uno obtruncato, ſet timeo, ne multis rarum & nouum quoddam animal uidear, tanquam coruus albus inter nigros, quod profecto difficillimam ducãt podagricos, & eos, qui ea affectione laborant, reſtitui poſſe, quaſi ab* Hippocrate, Galeno, *& à cæteris morbum deploratum & extinctũ didicerimus. Quibus ego in ſumma reſpondeo, nam nolim ego tempus conterere, in maledicorum (quibus hoc ea in re infeliciſsimum ſeculum abundat) refutatione, quæ tãdem contumeliam potius, quàm auxilium expectaret. Itaq;*

cedendum potenti inuidiæ eſſe cenſeo. Nullum *ergo eſſe morbum quantumuis intolerabilem dicimus, qui (ubi uirtus uicta non fuerit, alioqui omnem operam perdis) minimo non reſtituatur pharmaco, ſi modo apte applicetur, neque panem pro uino, frigidũ pro calido, ſiccum pro humido exhibeas.* Neque *perierunt qui hæc promptiſsima remedia ſunt experti, ipſi me iudicent aut exibilẽt, ſet rẽ aggrediamur, in qua tria ſum facturus per ordinem, primum eius cauſas inquiram, exinde aliquot differentias referam, demum medicamentis & defendemus & reſtituemus, ciborum delectu & ordine nõ poſthabito, generant autẽ hanc affectionem, quæ communis coxendici, podagræ, & articulari morbis exiſtit, quare uaria ægritudo dicitur.*

Podagræ generatio & fomes.

Aſsiduæ cruditates, immodicus rei uenereæ uſus, ciborum copia & uarietas à quibus uentres rectiſsime dicuntur aliquando deambulationes concitatiores, & hæmorrhoides ſuppreſſæ, & uomendi conſuetudo intermiſſa, & menſtruæ purgationes, aut etiam aliæ familiares excretiones impeditæ, & exercitiorum contemptus, aut alicuius humoris ualida ubertas, necnon parentum uitium, quo fœtus corruit in podagram, à quibus morbi (teſte Plinio*) ſuccedentes dicuntur.*

Nunc differẽtiæ ſequuntur.

At poſt cauſarum adnumerationem, differentias colligamus, ut inde omnis amphibologia uitetur, & ut intelligatur quid ſit id, de quo ſermonem ſumus facturi. Differentiæ *podagræ, & arthridæ, his colliguntur.* Nam *affectio podagrica, & arthritica in eadem ſpecie morbi exiſtunt, differunt tamen ipſis locis affe-*

ctis

ctis, non autem ipſo genere. In omnibus enim eſt debilitas articulorum diuturna cum fluxione, quæ quidem ſi in pedibus perficitur, podagra nominatur, ſi uero in aliquo coxarum uertebro, Iſchias, hoc eſt, coxendicum morbus, ſi uero in multis articulis corporis immittitur, arthritis, ſiue morbus articularis uocatur. Et hæc de differentijs ſint ſatis. Quare ad tertium omnium difficillimum deuenio. Quid amabô prodeſt curuitatem, aut gracilitatem, aut calores non immodicos nouiſſe, & in melius reſtituere, aut meliora facere neſcias? Initium igitur curationis ab euacuatione ſumito humoris affligentis, & ſiquidem humoribus ex æquo redundarit corpus, præ omnibus uenæ ſectio ſumatur, quæ in principio omnium inflammationum reuulſoria eſſe debet, paulatimq́; fiat, ut pluries repetatur, deinde etiam purgatio, poſtea uero ea quæ dicentur pharmaca opportune, & ordinate adhibeãtur, ita ut in manibus quidem, & pedibus pharmacis fluxum repellentibus utamur. Circa coxendicum uero iuncturam, id facere uitemus, quum enim hic cõnexus in alto ſit ſitus, quare lenitiuis à principio opus eſt pharmacis, atque ea neque omnino refrigerent, neque fortiter calfaciant. Nam pharmaca quæ aut acria ſunt quæ bullas excitãt, aut repulſoria uel repellentia, mala proculdubio ſunt, & quibus uti non liceat, & qui his utitur magni mali autor eſt, mortemq́; pro uita inducit. ſet gratia exempli hæc Iſchiadica irrigatio adferatur. Primum ex oleo rutaceo, poſtea uero efficacior irrigatio adhibenda eſt, qualis eſt quæ ex cy-

Initium curationis.

Phlebotomia principio fiat reuulſoria.

prino oleo, & aceto cōſtat, poſt quæ utitor clyſtere acriori (ut bene nouiſti) in quo ſit terebinthina. Et *hæc de morbo non adhuc ualido, cuius radices nō ſunt profundæ.* Supereſt *nunc antiqui & ualidi morbi curatio, quod opus, labor eſt profecto non mediocris.* Quē *tribus inſtrumētis, uelut bellicis machinis ad hoſtes oppugnādos radicitus euellemus, potione, ſcilicet irrigationibus uel emplaſtris, & uictus regimine. potionē dico, quæ multiplex & uaria exiſtit, pro temporis conſtitutione & humoris influentis multitudine: nam nō omnibus æqualis exiſtit.* Etenim *alij ex caliditate, alij ex frigiditate ægrotant, atq; exinde etiā refrigerando, aut calefaciēdo, aut reſiccādo opem ſentiūt.*

Morbi antiqui & validi curatio.

Interdicitur balneum cū venæ apertiōe vbi morbus iam antiquus & validus factus eſt.

Neq; *hic balneum locum accipiet, aut uenæ apertio, cuius rei rationem require ex oraculis antiquorum ſcriptorum, quando huc rationes artis adſerri non debeant, quæ in ſcholis petendæ erant, ſet tātum medicamentorum ratio, & quibus ſanitas aut reſtitui, aut conſeruari poßit, quæ certe prouidentia & conſilio eget, etiam ſi ſint, quæ ab ipſo ortu, adeo improſpero ſunt corporis ſtatu, ut ne ſi* Aeſculapiū *quidem ipſum ijs præfeceris, uel ſexageſimum annum uideant.* Primum *igitur uiuendi modus paretur, quāuis aut ueſci, aut bibere, aut reſpirare uſquam à quoquā non didiſcerimus, ſet ſtatim ab initio, & infantia, à primiſq; uagitibus facultates in nobis habeamus, quæ hæc omnia, citra omnem docentem, perficiunt, optimum tamen uiuendi modum, quo ad ſymmetriam priſtinam reducimur, haud præſtant, quem ſumus exhibituri*

bituri. Quod ſi corpus noſtrum impatibile, & affe-ctionis omnis expers eſſet, uelut lapis, & ea quæ ſolū eſſe habēt, omnis uitæ expertia, arte ulla profecto opus non eſſet, quæ alicui tuendo præeſſet. Sed quum multa ſunt (quæ ad duo reducimus) quibus & foris, & intus cōtinuo ab ipſa natiuitate offendimur & corrūpimur, opus certe fuit præſidio aliquo, quo uigoris tenorem quàm lōgiſſime ſeruaremus, & præpropere ſeneſceremus. Ea uerò quæ nobis occurſant, & intus & extrinſecus incidunt, à quibus & utilitatem, & noxam accipimus, ſex ſunt numero. Et dicuntur res nō naturales, quæ corpus humanum incolume (ſi recte adhibeātur) conſeruant, ſi uerò haud recte, tunc idē deſtruūt, ſub quibus, ſanitatis tuitio comprehenditur. uidendum itaq; ut quiſq; rebus his non naturalibus commode, iuxta ſui corporis temperiem & conſtitutionem, utatur, ſi modo plurimi faciat ſanitatem ſuam. Et ſunt hæc aer. 1. cibus & potus. 2. motus & quies. 3. ſomnus & uigilia. 4. inanitio & repletio. 5. animi adfectus. 6. de quibus omnibus ſuo ordine diſſeratur, ad aerem primo accedentes, qui minime negligendus eſt, eo enim natiuus calor conſeruatur, & eget, quādo eo nuſquàm nō utatur, neq; ulla eſt eius euitandi ratio, quādo, inuitis etiam nobis, eum recipimus. Aere igitur puro, non nubilo, non craſſo, qui auram peſtilentem non ſpiret, nec halitu ſtagni, aut paludis inficiatur, ut apud Seguſianos fit, quare in ſumma peſſimū cœlum fuge, nam morbum facit, ſet potius ſaluberrimo utere, in quo non ſit qualitas aliqua exuperans, qualem adferunt horæ ali-

quot diei,& dies anni & menſium ſelecti. Set aere utcunq; præſcripto cibos cum potu paremus & exhibeamus, quorum uſum quaſi per tranſennam deſcribimus, quibusq; inanitionem & repletionem (quæ bifariam, ut paulo inferius dicetur, à medico conſiderantur) addemus. Circa igitur cibi & potus rationem, habenda eſt bonitatis, menſuræ, qualitatis, ordinis, temporis, & horarum conſyderatio, quod pulchre docet Gal. omnium haud dubie (poſt unicum Hippocratẽ) præſtantiſsimus. Cum igitur, inquit, eſſe, bibereq; animalibus neceſſaria ſint, has autẽ res ſubſequitur excrementorum generatio, quibus mora cõtingit, aut ipſius cibi, potusq; culpa, aut ipſius uentriculi unà cum inteſtinis, aut propter ordinẽ utendiq; modũ, aut propter eorũ qualitates, ſiquidem acerba, auſtera, aut ſiccæ naturæ fuerint. hæc ipſe. Et ne uideamur negotium effugere aut potius rẽ aggreſſam ſub uelamine breuitatis (à qua obſcuriores fimus) ignotã & ambiguã proponere. Dicamus itaq; (poſt toties ab Hippo. Gal. uires alimentorum repetitas, à quibus plenus horum catalogus petendus) qui cibi ſunt eligendi, & qui euitandi, ut exemplo aliquo propoſito reliqua eiuſdem generis notiſsima fiant. Quare hunc ſeruato ordinem & utendi modum, aſſarũ potius quàm elixarũ carnium uſum retine, leuia primum locum retineant, & quæ pinguia, aut humida, aut dulcia ſunt, citra tamen inſignem qualitatem & uigorem, quæ ſicca aſtringenti'ue ſunt, ſecundo loco ſumãtur. ſit etiam æqua ciborum partitio, ut ſi bis ſit edendum, totum una uice non ſumatur, more Rhoma

Cibi & potus compendiaria deſcriptio.

re Rhomanorũ, *qui totum una menſa deuorant, quod tribus menſis ſufficere poterat, quos arguit & monet diuus* Hieronymus, *inquiens melius eſſe, ſæpe parum, quàm raro ſatis. Set ad menſam redeo, quam quædam bellaria (quæ neq; ſtomachum, neq; cibos corrumpãt) claudent, ut ſunt cotonea ſub cineribus cocta, aut ſaccaro condita, aut pira non petroſa, etiam igne probata, aut ſaccarato puluere utere, ex coriandro, aniſo, cinamomo, & ſaccaro confecto. Quantũ attinet ad ciborũ delicias, & condimenta, ſummopere ab acido uino abhorreas, uice cuius erit tibi ius ex acetoſa, ex malis punicis aut* Indicis, *ſynapium etiam cum ſaccaro inutile non erit, cuius uſus hyeme tantũ fiat, & in prandio magis q̃ in cœna. Sit potus ex uino ſanguinei coloris (uulgo chaſtain dicunt) q̧ color proprius ſit caſtanearum.* Nunc *poſt uſum hunc, breuis quædam fiat admonitio eorum quæ ab alimentis reijciẽda ſunt, ualetudinarijs enim loquor, & iſchiacis, qui longo dolore nec facile ſolubili, per temporis interualla repetente etiam uſq; ad imos pedes affliguntur, cuius generis ſunt carnes ſuillæ, & porcinæ, inter quas quædam exiſtit differẽtia à ſola ætate, & bouillæ, quæ uerò nemora colunt retineãtur, anates & quotquot ſunt aues quæ in paludibus & fluuijs degunt, holera etiam omnia cruda (quæ ijs qui non admodum ab optima cõſtitutione deficiunt relinquimus) menſas ueſtras minime attingant.* Lac *omni ſtudio cibis noſtris nõ miſceatur.* Neq; *huc pertinet ratio quæ ab ſcholis eſt mutuãda. Sitis etiã parciſſimi* Ichthiophagi, *& hæc de cibo*

De ciborũ delicijs.

De ſynapio

Vinũ ſanguineum.

Ex hippocrate collegi carnẽ porcinã à ſuilla differre in libris morborũ acutorum.

& potu inter quos euitabitur inanitio & repletio.

Neq; eſt omittendũ inanitionis uarios eſſe modos, nam inanimus inedia, frictione, purgante pharmaco, uomitu, cucurbitula, uenæ ſectione, balneo, coitu, hæmorrhoidibus, inſenſili euaporatione, lotio, ſomno ſupra famẽ, & reliquis quæ calamo ſcribi non poſſent. Neq; unum eſt omittendum, quod proderit meminiſſe, mediam (quæ plures excarnificat) ab ijs nõ tolerari, qui amara abundant & infeſtantur, quæ extreme lædit, acriorq́; fit lõga inedia, à qua læditur quoq; uirtus, imbecillaq́; fit, quæ multos morbos curat abſq; medico miniſtro, ea nãq; uicta operam omnem perdimus. Set ſomnũ & uigiliam cũ motu & quiete accipiamus. Tẽpus aũt ſomno accõmodatiſſimũ eſt poſt cibos cũ modica intercapedine, poſt quos exercitatio inutilis eſt, ut ſatis ſuperius ex Galeno de prandij & cœnæ ratione inſinuauimus. interdiu uerò ſomnus factus, nõ omnibus eſt idoneus, quare ſomno nocturno haud eſt alius melior, ſiquidẽ ſuapte natura, tũ humore, tũ trãquillitate coctionẽ perfectã efficit. Cæterũ quantũ dormire liceat, hoc ex perfecta alimẽtorũ cõcoctione, tũ ex uẽtris cõtractione deprehẽdere licebit. Multi ſeptẽ horarũ ſpatiũ præſcribũt. Set longius multo cõuenit iis, qui tarde digerũt. obſeruãdus quoq; ſomni decubitus idoneus, qui ſupinus aut reſupinus nõ ſit, quẽ in uniuerſum dãnamus. itaq; ſupra dextrũ latus primũ, deinde ſiniſtrũ decens fiat decubitus. Porrò quod ad uigilias attinet, conuenit has moderate adhibere, quæ ſi modũ exceſſerint, cerebri tẽperiem corrũpũt, ſenſus debilitant

[Margin notes: Modi varij inanitionis. — De inedia quæ multis mortem adfert. — Somnus nocturnus alijs præſtat.]

tant, uirtutes deijciūt, cruditatē incoctionēq; efficiūt. N*eq; ualent exercitationes quæ ad ſummū fiūt.* Q*uare modū nō excedāt ſomnus & uigilia.* D*e motu aūt qe=te quo cuiuſuis generis exercitia intelligimus, hæc ac=cipe, ut tēporis rationē nō paruā habeas in tuis exerci tijs.* N*ā quoniā alimēti digestionem in corpus, & eius mēbra adiuuāt, nō debēt exercitia fieri quando crudi incoctiq; cibi, aut humoris multitudo, uel in uētre, uel in uaſis cōtinētur, ne in omnes partes rapiātur, priuſ=quàm utiles ſint per cōcoctionē.* P*orrò quēadmodum exercitiū cōmode corpori adminiſtratū cōmoda ad=fert nō pauca, ita quies, ſi fiat ubi corpus ex multa mo tione fuerit defatigatū.* I*ā reliquū eſt, ut ad animi ad=fectus pergamus, proinde ad ſanationis ſcopū, qui eſt euacuatio humoris redūdātis unà cū corroboratione partiū debilitata.* A*nimi igitur affectus (quos* G*ræci* πάθη *dicūt) negligendi non ſunt, neq; eſt modica uis in animi affectibus.* N*ā cogitatio per ſe, & ſola abſq; in=ſtrumētis triſtatur, lætatur, timet, confidit, ſperat, & cōtrà.* Q*uidā enim præ gaudio mortui ſunt, quidā etiā præ dolore & mœſtitia, deniq; per irā articulorū, mor bos & paralyſes oriri cōperimus.* Q*uare rebus nō na turalibus utut expoſitis, pharmacorū purgantium & reliquorū remediorū cāpū aggrediamur, omni exitio ſo pharmaco ſepoſito, ne cōſcius mortis medicus cen=ſeatur, quale eſt repulſoriū, aut ſtupefactiuū, aut bul=las excitans.* I*gitur cōſyderet medicus, nūquid idoneè ſe habeat æger ad purgationē.* N*ā tempore inflāmatio nis, & doloribus inſtātibus, haud apta erit purgatio,*

Medicus nō fit mortis au tor, quod fit ab exitioſo medicamēto.

neq; quoduis refrigeriũ. Quare his utitor, quæ & remittunt, & ſanãt. Nã teſte Cornelio, pollicetur medicina ſanitatẽ, ſicuti agricultura fructũ, & frumẽti abũdantiã. Set quid ſit medicamẽtũ dicamus, quãdo finitione quid ſit, reiq; eſſentiã & naturã ſignificamus, medicamentũ id eſt, quod parũ, aut nihil alit, ſet quod, aut immutare aut alterare poßit corpus humanũ, quod eſt ſcopus noſter, uulgo ſubiectũ dicitur. Diſtinguũtur autem ipſa medicamẽta pro modo & uarietate tẽporis. nam alia ſunt corpori hyeme, alia æſtate, alia autũno & alia uere idonea. Porrò mouẽtur hi dolores frequẽtius uere & autũno, æſtate etiã multũ arida & calida, quod Cornelius Celſus de articulorũ doloribus libro 4. eleganter docet. Maiorẽ uerò, inquit, curã adhibere debẽt hi, quibus id reuertitur. Quod fere uere, autũno'ue fieri ſolet, ſet frequẽtius his tẽporibus primis recurrit, quibus ad frigidum aut ad calidũ inclinamus. Quare uere ſic defendito.

[Co]rpus hu[ma]nũ ſcopus [m]edicorum, ſubiectũ [uu]lgo dicitur.

[C]orne. cel. libro. 4.

[U]eris defenſio.

℞. ſyrupi de cichorio cũ Rhabarbaro, de fumo terræ, de bugloſſo, & malorũ punicorũ ana. ℥. iij. aquarum acetoſæ hoc eſt oxilapathi uel hortẽſis rumicis (quæ à Dioſcoride oxalida appellatur) graminis, roſarũ, & fœniculi ana. ℥. vj. miſce ad quinq; portionis (doſes enim dicunt) & cum iſtis placcntulis utere mane ſolum, tribus horis ante cibos.

℞. electuarij diarodon abbatis Rhabarbaro duplicato. ℥. j. utere cum ſyrupis.

℞. yuæ arteticæ (quã chamæpityn dicũt) fumariæ quæ terræ capnos dicitur & lupulorũ ana. M. j. florũ borraginis, ui-

ginis, uiolarũ, et nimpheæ ana par. ß. florũ thymi ℥. ß. ſenæ mũdatæ ʒ. j. ß. myrabolanorũ citrinorũ (chryſſobalanos dicũt) & kebulorũ ana. ʒ. ij. ſeminis aniſi, fœniculi, & cuſcutæ ana. ʒ. ß. uuarũ paſſarũ mũdatarũ, & prunorũ damaſcenorũ enucleatorũ ana, paria. xij. ſeminis melonũ, & cucurbitæ ana. ʒ. ij. miſce, & oĩm fiat decoctio, cuius colaturæ adde diacatholiconis, & conſeruæ prunorũ ſine ſcãmonio (officinæ diaprunon ſimplex dicũt) ana ℥. ß. cõfectionis hamech ℈. iiij. radicis barbaræ cũ cinamomo, ut eſt artis infuſi, & poſt decẽ horas expreßi ʒ. j. agarici trociſcati in oxymelli te præparati, & mane per pãniculũ excolati ʒ. ß. fiat potio exhibeatur die idonea, & electa, poſt uſum ſyruporũ. Die uerò ſequẽti ante aurorã, ſume theriaces ʒ. j. cũ roſis & floribus bugloßi cõditis & eã mixturã deuoret, cibos à mixtura nõ ſumat ſpatio ſex horarũ. utatur per aliquot dies his placẽtulis, (electuaria uocãt) ℞. pulueris diarodi abbatis, & trium ſandalorũ ana ʒ. j. rhabarbari optimi pulueriſati ʒ. j. ſaccari candidi & quàm purißimi ℥. iiij. cũ capni terræ aqua & endiuiæ & cichorij, ad ignẽ formẽtur placẽtulæ põderãtes ʒ. ij. utatur omni die unà cum uno cochleario uini aromatici, & hic cibus prãdiũ præcedat tribus horis. Et ſi per æſtatẽ aluũ fluidã non habeat, utere rore ſyriaco, aut ſiliqua ægyptia, aut tamarãdis, aut atramẽto radicis barbaræ, aut ſyrupo roſaceo purgatorio: his omnibus aluus exoneratur, quorũ uſum accipe diebus idoneis. Præcautio quæ fiet in autũno unà cũ hyeme. Horũ omniũ quæ ſequuntur in itiũ ſume mẽſe octobri,

Electio dierũ nõ ſuperſtitioſa quæ ſumitur à luna.

De æſtate.

aut ſub eius finē ℞.mellis roſacei excolati,ſyrupi de abſynthio,ſticados & de bugloſſo ana.℥.ij.aquarū bethonicæ maioranæ capillorū & yuæ arteticæ (quæ chamæpitys dicitur) ana.℥.iiij.miſce ad.4.doſes, adde nucis moſchatæ (quā odoratā dicūt) ℈.j.& cinamomi ʒ.j.℞.electuarij diaron abba.℥.j. pro potione humore digeſto, catapotijs repurgetur, quorum datur deſcriptio ℞.pilularū imperialium abſq; tripolio (officinæ turbith dicūt) de iera ſimplici, & hermodactilis minoribus ana.℈.j.rha.optimi.℈.ß.cū melle roſato colato fiāt catapotia quinque aut ſex, quæ deuoret hora decubitus, & eo die nihil cœnet, die poſtero accipiat confectum mitridaticū cum theriaca & puluere diamoſchi dulcis non neglecta ſex horarū abſtinentia, ſequētibus autem diebus ſexto quoq; die mane utatur theriaca antiqua, deſcriptione Andromachi ad drachmæ unius pondus. Et ut cæterorū dierū rationem habeam, pro uoto tuo utere maſtiche, cuius uſus ſit bifariam. aut enim deuoratur, aut manditur & in ore retinetur, uomitorijs etiam aut ante cibos aut poſt pro uētris ſaburra. Et ſi per hyemē uenter liberaliter nō fluat, hac purgatoria mixtura moueas. ℞.caßiæ ad uaporē aquæ feruētis (in qua aliquid ſit fœniculi & aniſi) extractæ ℥.ij.dyaphiniconis ℥.ß.cōfectiōis hamech ℥.ß.rhabarb.optimi ʒ.ij.ſenæ mundatæ ʒ.j.ß.miſce, & cū ſyrupo biſantino tepido reduc in eā formā quā opiatā dicūt, utere ad quātitatē ʒ.ij.bis in mēſe idonea die, & ea die domi te contine. Quod ſi ſic ſpiſſum nō placeret, diſſolue cū iure cicerū rubeorum & hordei.

Duplex vſus maſtiches.

Nec dubito quin multos & innumeros ſit reperire, noctu diuq́; pergræcãtes, qui hæc quæ ad languẽtes potius, quàm ad medicos (quibus ſolus Hippo. cum Galeno relinquitur) ſcribimus, negligant & execrentur, caryocoſtinum præferentes, medicamentũ certe promptiſsimum, quod ego non eo inficias, nã omni podagræ, uelut unus calceus omni pedi, apte exhibetur, cuius autor eſt medicus inſigniter ſenex purpuràtus (quem propter ſuos canos, & doctrinam antiquã uolo reuereri) ſet proponatur cõpoſitio, iudicetis exinde exitialis'ne an ſalutifera fuerit, neque de his uiris inique & inepte iudicandum eſt, deſcriptio hæc eſt. ℞. hermodactilorum alborum à cortice mundatorũ & diagredij añ. ℥. ij. gingiberis, coſti, cimini, caryophyllorum añ. ℥. j. trita, & cribrata, cum ſyrupo ex melle & uino albo facto conficiantur & cætera. Videte per gratiam an huius cathartici ratio nihil moleſti, nihil uenenati habeat. nam ego (ne limites propoſitos egrediar) plura non dico. Quare ad podagrã redeo, ad quam caſtigandam, aut ſedandã, parum aut nihil profuiſſe uiderer, ſi poſt omnes tuitiones, & omnem prouidẽtiam, partibus actu dolentibus & paſſis non mederer. Quare his leuibus malagmatis, & refrigerijs utere, quæ noxã nõ adferẽt, uſu uini ſi ætas, regio, tempus, & uires patiantur, poſthabito per aliquot dies, loco cuius accipe aquam ſaccharatam coctam cum cinamomo, aut ſimplicem cum iulepo roſaceo, aut uiolaceo, extrinſecus uero apponãtur hæc locis dolentibus. ℞. oleorũ roſacei, & camomillæ añ.

Caryocoſti. ni deſcripti[o]

Remedia qui bus præſentes dolores tolluntur.

℥.ij.uermium terreſtrium libram ß. terebinthinæ uenetæ lotæ ℥.j.℞. linimentum emplaſtri modo. ad idẽ emplaſtrum diachylonis ireati, loco dolẽti appoſitũ ſanat. Aliud. farina fœnogræci cum melle, & aceto ad ignem in formam emplaſtri reducta, & applicata ſanat. Singulariſsimũ, quod ſæpe ſum expertus, ſtercus recens egeſtum, & appoſitum, omnem dolorem tollit. Poteris etiã uulpino oleo, & camemelino uti. Cæterũ interim dum nullo exercitio utimur, propter dolores immodicos: neq; tunc excrementa probe expellũtur, utilis erit ante omnem comeſtionem, aut glandis, aut clyſteris familiaris (quem communem dicunt) uſus, potius quàm pharmaci ſolutiui, à quo fluxiones tunc maiores fiunt, & uirtus quæ dolores & morbos eſt ſuperatura, imbecilla fit. Deniq; poſt mentionẽ remediorum, & totius prouidentiæ, quæ neceſſaria huic loco uiſa eſt, quam ob cauſam membra fluore infeſtentur dicamus, quæ ſit etiam curuatorum articulorum cauſa. Quibus omnibus rite expoſitis, finẽ faciemus. Prior igitur cauſa explicetur, de fluidarum ſcilicet affectionum generatione, quæ quidem una eſt & præcipua, membris uidelicet fortioribus ſuperfluum demittentibus, imbecillioribus autem ſuſcipientibus. Cæterum articuli ipſi ex aſsiduo motu debiliores redduntur, quòd ſi humores plures fuerint, maior contingit affectio, ſi uero pauciores minor. Set incuruatorum cauſa iam dicatur. Incuruatorum enim cauſa, tota, & à medicis, & à medicamentis pendet. nam alij immodice refrigerant, alij autem uehementer diſcu-

Cauſa fluxionum.

Cauſa incuruatorum.

tiunt

tiunt, ex quo ſanè partes neruoſas inſpiſſari contingit, incuruari & diſtorqueri. Quare his optime obſeruatis & intellectis, quæ large à nobis denuntiata, & à ſecretioribus medicinæ in uſum communem producta ſunt Dei *immortalis nutu, à quo omnis datur ſanitas, quiq; ſolus lāguores ſanat & animi, & corporis,* Fiet *ut podagra nunquam langueas, & maturè uires recipias.* Vale, & gratiam habe.

D. Petro Toleto

MEDICO CLARISSIMO HERMANNVS BEXIVS

S. D.

PRAETER *ſpem tertio idus* Octob. *mihi tuæ de ratione operis tui traditæ ſunt literæ, quibus eodem ferè temporis puncto uarie affectus ſum.* Etenim *ubi perlegiſſem, partim ingenij tui elegantia, ſuauitate, ac in omnem partem rara quadam & felici uolubilitate, partim noui operis grata diſpoſitione, atq; ſeriorum amabili condimento, ab ipſis poculis, & comitum (in quos forte incideram) meorum colloquio, non ſine magna animi exultatione in profundam cogitationẽ diſtractus ſum. Quid tamẽ euenerit breuiter accipe.* Vt *me amœnæ infixum meditationi, animumq; repentino gaudio perfuſum conſpexiſſent, importunius omnes totius cœtus nomine interpellarunt, rogãtes ut eius gaudij non grauarer eos facere participes, quod facile conceſsi, ſperans ſolidius hac communicatione & uberius mei incrementum gaudij.* Verum *longe aliter euenit,* Nam *quo nomine mihi (dulciũ nempe & illecebrarum cum grauibus condimento) per=*

ſuaſum

ſuaſum eſt, omnibus, qui ſani ſunt iudicij libellũ tuum commendatiſsimum, & ut dici ſolet, ambabus ulnis amplexandum fore, hoc illi imperite & acerbe ſatis detrahebant, tragice exclamantes, ἐν τῇ φακῇ μύρον, Medicinæ ſepes medicum tranſgredi iniquum, falcem in alienam mittere meſſem ſceleratum: Atra albis cõ=iungere imperitum & ineptum eſſe, Atq; pro piaculo habentes, ſi quis ſacroſanctæ (ut certe eſt) medicinæ uel tantillum ſalis & recreationis (quod hic factum eſt per epiſtolas prodigioſas, ſucco tamen neque me=dulla carẽtes) in animi defatigationẽ inſpergeret. Quibus quid reſpõderim latere te nolo, aliud nihil impræ ſentiarum in uotis habens quàm ut iiſdem his uerbis reſponſum ſit omnibus quotquot in poſterum eadem ſeu impudentia, ſeu imperitia obſtrepuerint. Vtrum cogetis medicum δεινὸν πάνοπλον, καὶ τῶν ἀνθρώπων βίον, & qualem clariſsimus poëta multis alijs præpo nit ac digniorem facit hoc præconio, ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Illum inquam, medicum phar=maco, podagræ, diætæ, prandij & cœnæ rationi, aëris infectioni, & huiuſmodi tetricis cogitationibus δυσόσμοις καὶ δυσοίστοις, ſine ulla intermiſsione inhærere, neque ueluti ſutorem ultra crepidam ad liberaliora & magis ingenua unquam progredi? Non ad ea (ut taceam quod recreent, reficiant, animiq; uires acuant) ſine quorum ſaltem mediocri cognitione mihi nullus abſolutus eſt medicus? Non arbitror. Ad hæc ſcitis quantum momenti apud ægrotum uel fidelis & amica conſolatio, uel amœna & rerum uarietate, prodi=

gioſis

gioſis, ſacris, prophanis condîta, atque grauibus intertexta, narratio habeat? Vſqueadeo ut ægrotus præter omnem expectationem ſuam, medici, amicorum repente nonnunquam priſtinæ ſanitati, beneficio facetiarum & animi recreationis reſtituatur, nedum à laboribus ſubleuetur atque temporis moleſtia ei diminuatur. Et quemadmodum hoc fit in uiua praxi, ita quoque ij qui in politioribus, & ſacris Muſarum aditis ultra alios progreßi ſunt, in longi operis continuatione conari debent, ut & in exordio, ubi rhetores lectorum & auditorum animos attentos ac beneuolos reddunt, & ſparſim per omnem orationem oblectamenta & ueluti illecebræ quædam ſeminentur, quibus inſtaurari & refici animus longo curſu & fatigatione iam ferè exanimatus poterit. In qua ſententia & Horatius eſt, inquiens,

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Id tamen locopletius faciendũ (quod tu clariß. D. Petre obſeruaſti) in calce libri, ubi quodammodo Alcinoi hortus omni florum uarietate & fragrantia amœnißimus adornandus & conſtruendus eſt: In quem lector cum ſe receperit, & refocillari poßit, & uires, atq; animũ colligere, ad reliquũ itineris ſpatiũ, diſcuſſo omni tædio, cũ maiori fructu & auiditate permetiendum. His & alijs, quas longũ eſſet recẽſere nõ iniquis rationibus in cõuiuio habitis uicti, qui prius oblatrabant obmutuerũt. Cæterũ te hortor, ut ſi res exegerit, nõ graueris hac eadẽ defenſione uti, niſi probabiliorem & efficaciorẽ domi habeas, ἔῤῥωσο ἀνὴρ εὐδοκιμώτατε, καὶ εὐτυχῶν διατέλει. Lugduni Cal. Nouemb.

Mar. Antonius

BAVCIVS PETRO Toleto Phyſico doctiſs.

S. P. D.

ETSI *tibi pollicitus fueram Phyſice percelebris, me ſtatim ad te literas daturũ à meo iſthinc diſceſſu, id tamen in hanc uſque horam facere diſtuli pluribus de cauſis, quas ſi recẽſere uoluero, ſcio proculdubio te cachinnos effuſurum, cũ humanam fidem ſuperent, & prodigij potius, ac oſtenti, quàm ueræ narrationis loco haberi poßint. Adeo ſunt inuſitata hæc, & penè inaudita, & (ita me Dij adiuuent) quãquam ea omnia uiderim, liquidoq́; perſpexerim, ſomniaſſe potius mihi uideor, quàm mirandis his rebus interfuiſſe. Quinimò hærebam ſæpius, ac mecũ animo reuoluebam Aſinum'ne in Apuleianum uerſus eſſem magicis incantationibus, an uero ille is* M. Antonius *qui pridem fueram eſſem denuo, tantum mihi uideor ob hæc inſolita mutatus ab illo* Hectore. *Nec ea (crede obſecro) præterquam tibi homini amicißimo cõmittere auderem.* Proinde *ſint hæc apud te ſepulta, rogo, donec dies lucem his (ſic dixerim) præſtigijs*

afferat. Equa trimeſtri tantum prægnans leporem pe
perit, lepus editus, continuo humana uoce locutus eſt,
& matrem dentibus ſuffocauit. Adhæc dum ſangui-
nem maternum pro lacte ſugeret, uiſæ ſunt propalam
eius tergo plumæ longiuſculæ innaſci in alarum mo-
rem, quibus innatis, altiori, quàm ſoleant homines, uo
ce hæc protulit, Fundite iam lachrymas, & ſuſpiria
miſeri mortales, ego hinc abeo. His dictis ſtatim euo-
lauit. O rem nulli credendam, ſed uero ipſo ueriorem.
Tabelliones publici ſeptem numero huic oſtẽto affue
runt, qui documenta ſumpſere, teſtibus idoneis euoca
tis. Iam uero & illud mirãdum, Nouembri hoc menſe
cerasus aurora prodeunte effloruit. Mox ceraſa uiſa
ſunt, magnitudinem Duracini perſici exuperantia, ſa
poris plus quàm ſapidi, ex his ego quàmplurima degu
ſtaui, & quatuor adhuc ſeruo, quò poßim naturæ mi
raculum pluribus commonſtrare. Sed hoc poſterius
non adeo mirandum, quàm quod nũc audies. Memini
nanque me legiſſe multis in locis hoc factũ, ut aliqui-
bus annis arbores fructus ſuos ſerius parerẽt, & quod
Maio menſe producebãt, id in Septembrem diſtuliſſe.
At hoc non'ne monſtrum eſt horrendũ, & nulla pror
ſus fide dignũ? Cui ſpectaculo niſi ego ipſe interfuiſ-
ſem, mentiri quoſcunque referentes dicerem. Reduce-
bat oues paſtas in caulam opilio, & forte accidit, ut
pecus quædam macilentißima, ac penè ſcabie cõfecta,
longo interuallo (paſtor inconſulto'ne an data opera
eam à reliquis ſegregaſſet mihi incertum) reliquas ſe-
queretur, eam lupus prægrandis, & cui cilia iam ca-
neſcebant

Aliud oſten tum.

neſcebant conſpicatus, uelociſsime inſequi cœpit. Ego illac trãſiens, ouiculam miſeratus, quàm maximo poteram clamore, & curſu, lupi uim ab innoxia arcere conabar. Sed antequam appropinquarem pecudi (Dij boni quale prodigium) ouis macie ipſa macilentior hoſtili & rabido animo lupum aggreſſa, eum ſtrangulauit. Pecus in forũ adducta, & lupus interemptus, delectabile ſpectaculũ prætereũtibus dedere. Quid ominis hæc portẽdãt ignoro. Tu uelim ad me opinionẽ tuã reſcribas, Oedipum enim te iampridẽ mihi conſtitui. uale, & me ama. Ex Diuo Marcellino VII. Kal. Decemb. M.D.XXXVII. raptiss.

TVVS, SI SVVS EST M. ANTONIVS BAVCIVS.

Salutabis meo nomine nunquàm ſatis laudatam Matronam Franciſcam Arſagam, Ioachini Iureconſulti Sororem.

M. ANTONIO BAVCIO REVErendiſſimi Nicenſis epiſcopi à ſecretis Petrus Toletus ex profeſſo medicus S. P. D.

EXcuſationem tuã accipio uir erudite, quod tardius ad me dederis literas, quàm hinc diſcedẽs ſis pollicitus: ſed certe cũ ſtylũ tuũ, quẽ fluens & innata eloquẽtia abſq; illecebra fallaci tractat, tua etiã prodigia inſpicio & obſeruo, felicẽq; eorũ progreſſum, meæ felicitati ſatis nõ gratulor, quòd dignum me tuis iſtis literis reddidiſti, quæ uſui, obſeruationi, delectationi, imò hyſtoriæ loco eſſe poſſunt. Quare quoties hæc le

go,te abſentẽ cogitatione & animo(quo mecũ uiuis) cõplector,& epiſtolã tuã deoſculor,quæ me unà cum amore in difficilẽ nodũ duxit. Nam non fidẽ meam,ſed ingenij mei uires excedunt & ſuperant quæ rogas,& ſi coràm adeſſes,cum hæc tua(quæ ænigmatiſten te faciunt)ſedulo euoluo , diceres profecto me in magnis & quaſi perpetuis tenebris eſſe collocatũ. Quare uehementiſsime admiror,imo uerò doleo quod hæc non tantum ſcribas,ſed Oedipũ me requiras,putans me hominẽ tãti iudicij qui poſſum ea,quæ nec Oedipus coniector ſolueret,explicare,à quo nulla uel elimatiora, uel doctiora queas expectare,dicam tamen poſtquam placet,cum obteſtatione me in culpa non eſſe ſi ad rẽ aut non accedam,aut potius ad mentẽ tuã non faciãt, neque ea ſic exprimant, quæ narras tanquã teſtis oculatus,aut melius præſagiãt. Primũ ad ceraſum hieme
Narratio. *fructiferã accedẽtes. Vniuerſi natura ſemper prouida, quæ interitũ non patitur,neque in neceſſarijs deficit, ſed auget, uegetat,& tuetur,ne in culpa defenſionis, & alimentorũ eſſet,expectationẽq; hominũ ſpe dubia fraudaret & falleret,fructuoſiſsima in tãta hominum ſolicitudine,& tã perturbato omniũ ſtatu ſeſe hoc tẽpore(quo recluditur & ſubtrahitur,fugiẽte ſole)præbuit, & culpã,quã iniuria tẽporis eſt cõmiſſura, nunc redimit. Neque uult illa tãquam omniũ dea,quæ corporibus omnibus uel ad generationẽ,uel ad internitionẽ natis ſubiecta eſt, nõ certe uult in ſuis mẽbris quicquã ſentire, quod ſtella illa martia, malo noſtro præuiſa,iã minatur & territat. Natura igitur nos deſtitutos inquies? & deo ſemper optimo,& natura nos de=*

ſtitutos

ſtitutos & lapſos exiſtima, tantũ armis belloq; peſtiferro oppreſſos expecto, nã nihil intra noſtros parietes tutũ, nihil uacuũ inſidijs, ſolã hominũ fæcem nunc regnare dicas, à qua præter ſordidũ & peruerſum nihil. ſed huius portẽti & tremoris ſit finis: opus eſt adhuc nobis aliquantũ tẽporis in equæ fœtura uel genitura, quæ niſi pricidiũ cõmiſiſſet ſcripſiſſem de capra quæ lupos peperit, & nihil aliud ſequutũ præter mortuũ prodigiũ. At ubi uox humana in bruto & alogo audita eſt, & mors quãprimũ à partu emiſſo eſt perpetrata, admonemur etiã aliquid prænouiſſe. nẽpe teſte Plinio præmonent animalia & pericula & ruinas imminentes, & ut ad rem faciã, uenient profecto dies (niſi dei æterni benignitate defendamur) in quibus nati ſe parẽtibus obſequium præſtare putent, ſi ad necem eos perducãt, imo ægreferent, quod tũc nati ut talia ſentirent, & ſe adulterinos perinde ac fuit lepus ab equa illo tẽpore decocto, & male adulto dicẽt. Nunc reſtat minus admirabile, magis tamẽ iocũdũ uiſu & auditu, ſed periculoſum eſt præmature denũtiare, etiã ſi prope ſit maturũ. Occiſus eſt lupus iam canus & ſenex ab oue neglecta & ſcabie infecta. Occidetur certe, occidetur lupus, & hoſtis humani generis, prò dolor iãdiu in ouẽ Chriſti, & terra & mari graſſans, nihil niſi ferociam, irã & perſequutionẽ dans. Quare deprehẽdetur, pœnáſque celeriter dabit miſer ille, quiſquis eſt, cuius ego nomini parco: nã beſtia eſt multorũ capitũ, moreq; ſoricis peribit, qui dũ roſitat, ſeipſum prodit, & ſi ouis plagis onerata ſit, uictura tamen eſt illũ, qui delictum haud inultũ feret, maleq; illũ multabit per

Chriſtũ, q̃ omnis uitæ perfectiſſimũ exẽplar eſt. Quare te, ò uir rariſſime, amoris noſtri cauſa rogo, ingenij noſtri in dubijs & uero periclitantis cauſa hortor, ut me iſtis ſcrupis & uitæ incõſtantis inſomnijs, ſi denuo ſcribere, ut perbelle, & perq̃ docte nouiſti contingat, animũ & calamũ in reſcribendo tandiu ne remoreris. Et ſcito ingenia maxime ſolertia in his portentis, ſidẽ humanã ſuperãtibus plerũq; capi & ad perniciẽ elabi. Sed hæc hactenus, pluribus etiã uerbis, quã neceſſe fuit, hæc ſcripta ſunt, nũc ea quæ à me male ſolerti, de præſtigijs minime uanis, & admirabilibus, quod affirmatiſſime ea ſcripſeris, inſtituta & quodãmodo reuelata cognoſce, & in bonã partẽ accipe, quorũ te cẽſorẽ propediẽ audiemus: ignoſces etiã iracundiæ noſtræ, quæ iuſta eſt, in eiuſmodi nõ ſolis, aut lunæ, ſed hominũ eclipſes, in quibus & occaſionẽ & licẽtiã audacius ſcribẽdi nacti ſumus. Vale, meq; mutuo dilige, & tibi perſuade quancũq; fœturã hoc ingeniolũ edere unquã queat, tuã eſſe futurã, libẽterq; quicquid efficere omnino ualeam, aut ſtudio aut exercitatione artis meæ aliquid conſequi, id ſine ulla exceptione ad tuam amplitudinem uniuerſum conferam. Iterum uale.

[ho]minũ eclipſes.

Te reſalutat Franciſca Arſaga pudicitia & caſto amore plena & inſignita.

OPTIMO PHYSICO DOMINO Petro Toleto ſuo amantiſſimo M. Antonius Baucius S. P. D.

EXpectabã omnino Petre doctiſſime epiſtolã à te aliquã uſurariam, quæ tali me fœnore locupletaret, qui-

ret, quo & tui ingenij argutiem, & eloquẽtiæ candorem admirari poſſem, ac publicis gratulari ſtudijs. Neque opinione falſus ſum mea. Adeo enim ſcite, adeo eleganter quæ tibi à me propoſita erãt ænigmata diſſoluiſti, ut nõ Oedipũ te iã arbitrer, ſed delphicũ Apollinẽ. Et cũ nemini magis ĩ prõptu ſit obſcuros ſermones dilucidare, quàm ei ipſi, qui eos eſt cõmẽtus, tu adeo luculẽter de illis diſſeruiſti, ut nõ ſine ſtupore ea legerim, imo ingenij uiuacitatẽ quã maxime admiratus fuerim, tanta ſermonis puritate polles, & rationũ uarietate iucũdiſsima. Proinde uniuerſæ Galliæ ſummopere gratulor, quòd tali fruatur alumno. Macte igitur eſto tua hac melliflua eloquẽtia, & te ſtudijs humanioribus (quod iã facis) dede, futurũ nãq; eſt propediẽ, ut ſummo cũ dolore fateantur Itali eloquentiæ laudẽ ab eis in Galliã per te auferri, quod apud Græcos de Cicerone ab Apollonio Milone ſcriptum legimus. Sed de his hactenus. Salutẽ dices plurimã meo nomine præſtãtiſsimo D. Gulielmo Arſago proprætori noſtro doctrinarũ luci, & eius Penelopeæ uxori, cui addes & Franciſcã Arſagã, caſtitatis ſpecimẽ. De me hoc tibi ſpondeas uelim, te mihi eſſe chariſsimum. uale. Ex diuo Marcellino pridie nonas decembres.

Vniuerſæ lię gratula

A diſceſſu Tardiuonæ ſum redditus ſtolidiore omni ſtupidior. Itaq; nõ miraberis incõſtantiã ſermonis & epiſtolæ. Verũ obſecro ut Reuerẽdo D. Operario commendes quamplurimum. M. Antonius Baucius.

M. ANTONIO BAVCIO AB epiſtolis Reuerendiſs. Nicenſis epiſcopi Petrus Toletus S. P. D.

DEo optimo maximo, in quo mihi tantum liceat gloriari, quod nihil habeã, à quo non acceperim, gratias ago uir nõ minus uitæ ornamẽtis, quàm ſermonis puritate & candore clariſſime, quod optatas & fœnerarias (ut dicis) literas à me receperis, quibus & prodigia, & terræ portenta eius pondera inutilia ſedẽ naturæ occupatura oſtẽdi, & quã pleniſſime potui enucleaui. Neq; me leuiter profeciſſe agnoſcerẽ, ſi facilis, & nimiũ obuius ille tuus amor, modiũ ſalis minime expectãs, quo infirmũ, & (quod cũ bona pace dixerim) incautũ te etiã cuiuis umbræ, & pulueri præbes, de me ea nõ pronũtiaret & affirmaret, nec tale iudiciũ, quale dij boni nõ agnoſco, nõ proferret, quãdoquidẽ, nõ me meis uirtutibus, ſed tuis plane ornaſti, à quibus nolo prouocare, & appellare, etiã ſi tyrociniũ & rudimentũ nõ poſuerim eorũ, quæ ad plenum dicis me attigiſſe & nouiſſe. Vtinã tibi, nõ in amore ſolũ, ſed in eloquẽtia reſponderẽ, & me ex æquo tanti poſſes facere, quanti te faciũt, qui tua legũt & admirantur. Et ſi te uirũ ferme bonũ conſtet, & ad meliora ſtudia promouẽda natũ, notæ & expertæ fidei, & uitæ inculpatiſſimæ, multaq; & illuſtria probitatis, ſynceritatisq; exempla expromas, attamen longè aliter reſciſco, quã ea admiratione, ea eloquẽtia ea argumentorũ minime exiliũ (ut dicis) ſtructura digna ſit. Verũ hæc

omnia(ut puto)magis ab amore,modeſtia, & benigni tate, quàm à iudicio emanant, quod merito in additio= ne, & uera tuæ epiſtolæ retractatione adſeris, te ſcili cet nõ tibi cõſtare, nec ratione quadã duci, quod facit mortiferũ cupidinis telũ. Quare erratũ reuocaſſe ui= deris, ne te incõſulti iudicij & ſtolidi arguerẽ, ſequu= tusq; es Mimi Publiani cõſiliũ, cuius hæc eſt ſentẽtia, Ad pœnitendũ properat qui cito iudicat. Literas igi= tur tuas prorſus negligã? perijt'ne opera, & impenſa, ſic beneficiorũ ego immemor, præter meum morẽ, ſic quid de me ſcribis, parui curabo, qui tuis literis uide= ris me reſtituiſſe, cuiuſq; opera, & beneficio mihi ſum redditus, & omni moleſti liberatus, nullũ etiã officiũ prætermiſiſti. hæc igitur omnia ſepeliẽtur? non certe, non hæc peribũt. neque eſt quod ſuccenſeas, aut ſis mi hi infenſus, etiã ſi pro tuis in me beneficijs ſatis nõ ſum facturus. Sed cur hæc dicta ſint à me, paucis intellige, & cur has laudes contumaciter recuſem, aut libenter nõ tulerim. Non debeo ego ſuauiſſime Antoni ita mihi Suffenus eſſe, ita placere, ut nõ putẽ multis mea diſpli cere, quamuis laudes nõ debeã aſpernari, præcipue ſi à laudatiſſimo uiro, & optimarũ artium perquã ſtudio ſo proficiſcantur. Quare gratus ſit tibi meus iſte pu= dor, plane ſubruſticus, quo uiſus ſum uelle hos colo= res, quibus me quaſi pictor ornas, ſubterfugere: nec(ut uerum fatear) ullius uocẽ libẽter magis audire debeo, quàm illius, quæ me laudat, & ad uirtutẽ quibuſdã ſti mulis gloriæ incitat. Quare, ò uirorũ clariſſime, ante= quàm calamus me deficiat, ſententiam meã tibi ignotã

[D]elicię ſecū[da]riæ deum [o]ffendunt.

eſſe nolo, cuius hæc eſt ſumma, ut me, fortunas meas, & omnes delicias ſecundarias, quæ deum aliquando offendunt, nos uerò ſemper oblectant, tua omnia eſſe perpetuum patiar, meq́; laborem indefeſſum & ferreum in perpetuitate tui nominis & laudis poſiturum, tuiq́; ſtudioſißimum ſcito. Neque ſcis quàm alte aſcendiſti, & quod neſcias, eſt tibi ignoſcendum, ſciūt ij, penes quos mortalium ſunt iura, in culpa, quod multis de cauſis reipublicæ puto te cōducere. Verum tuorum operum orbitatem apud populum in funera cadentem neglige, uidet omnia deus ſabaoth, hoc eſt militiæ cœleſtis, qui omnia ob oculos habet. Et à te hoc unum peto ut meas iniurias perinde doleas, ut me exiſtimas & dolere, & tuas ulciſci uelle. uince igitur, & uale, qui mecum es etiam uſq; ad cineres uicturus. Deū etiam precemur, ut diſcordias, quas ferrum & uis uindicat, ſine noſtro periculo uidere liceat. Iterum uale, & cum gaudio omnium uictoriam expecta, neq; ſpe dubia te fraudabis. E` Burgo apud Seguſianos.

FRAN

FRANCISCVS PIDOVXIVS
Petro Toleto Medico doctiſsimo
S. P. D.

QVoniam ſcribit Ariſtoteles multorũ amicitias ſilentio dirimi, nolui committere, ut idem nobis eueniret, præſertim in tanto amico: ſoleo enim eiuſmodi officiorum genere cum amicis perlibenter uti, ne conſuetudinis intermiſsio de priſtina mea in eos beneuolentia quicquã minuiſſe uideatur. Sed cũ ueterem illũ tuum in me animum prompta propenſaq; uoluntate, in præſentia cõfirmatum altius expendo, nunc certe cõtineri me diutius nequaquã potui, quin te mei ſtudioſiſsimũ faciam de rebus meis, & præſenti ſtatu per literas certiorem, præſertim cũ nuper (cum nos incredibili humanitate tua, & gratia nullo omnino meo in te extante officio, unà cũ M. Nicolao inuiſiſſes) petieras à nobis ut diſiuncti mutuis epiſtolis colloqueremur, mutuamq; quandã cõſuetudinẽ imaginemur. Prior itaq; laceſſo, tametſi in præſentia nec admodũ uacabat ſcribere, nec erat argumentũ aliquod ſeriũ. Quid rerũ faciam rogas, amicis operã do, horũ gratiſsima cõſuetudine memet oblecto, arcana ipſi ſua celant nunquã, cõmiſſa ſumma cũ fide retinẽt, nihil foris quæ liberius inter familiares effundere ſolemus renuntiant: Vocati præſto ſunt, inuocati non ingerunt ſeſe, iuſsi loquũtur, iniuſsi tacent: loquuntur quæ uoles, quantũ uoles, quoad uoles: nihil aſſentãtur, fingunt nihil, nihil diſsimulãt. Verũ ne noſtra te fallat

metaphora, quicquid de amiculis loquutus ſum, de libris dictũ intelligas, quorũ familiaritas me plane beatum efficit, ſed longe beatiorem, ſi tecũ mihi hæc felicitas, uel tãtillo tempore cõtingeret. Itaq; *ſi te ad hãc urbẽ* Matiſcum *proximo die feſto diui* Ioannis, *ut pollicitus es, conferre uolueris* M. Antonij Rhodij *diſcipuli tui & medici urbis* Tornacenſis *uiſendi cauſa me (ſi libuerit) fidum habebis comitem, & liberius de familiaribus negotijs, prædictiſq; amicis diſſeremus. Salutant te plurimũ omnes huius urbis medici.* Cæterum *bene ualebis uir neſcio humanior'ne, an eruditior omnino ornatiſſime, & huius amiculũ uel potius clientulum, tibi toto pectore deditiſſimum, ita ut ſoles amabis.* Ex Matiſco XVIII. *Cal. Iulias.*

FRANCISCO PIDOVXIO vigilantiſsimo medico Petrus Toletus S. D. P.

SAluus *ſis diſertiſſime* Franciſce, *ſcripſeram ad te nuper ſatis uulgariter, amice tamen, quippe qui te in oculis fero, propter doctrinam tuã, propter tuos mores, & ingenij tui felicitatẽ ad quiduis ſequacis, tu uero cũ fœnore, ut bene nouiſti, docte, amice & liberaliter reſpõdiſti.* Dico *liberaliter, cum nõ minus ſit liberalis is, qui ſua negotia amico, qui ſuſpicione uacat, aut per literas, aut coràm credit, quàm qui omnia ſua, quæ poſſidet, alteri elargitur.* Neq; *timẽdum erat*

tibi

tibi amicitiam noſtrã dirimi poſſe aut ſilentio, quod ab ſpatio loci fit, aut nullis epiſtolis, quæ nũc cũ quadam uiciſsitudine tuto dari nõ poſſunt, etiã ſi negotia principum minime tractemus. Nempe *cũ mortalibus in hac ætate ferrea & martia peßime uiuitur.* Quam *ob rem te ſic docta & ingenioſa metaphora felicem depinxiſti, ut parum, aut nihil te cum hominibus uerſari intelligam, par eſt profecto ut mea ſtudia, & adfectus uiciſsim reſcribam, ne te aliquid celem.* Duo *certe amores duas faciunt ciuitates: duplex eſt noſtra cõuerſatio: ducimus uitam partim ſedentariam & tranquillam, partim motoriam & inquietã: uiuimus cum præceptoribus mutis, loquimur & uerſamur cum hominibus: perficimus opus noſtrum cum mutis, cum cæteris uero detrahimus nobis. Gaudemus cum mutis, triſtamur cum loquentibus: ornant nos muti, denigrant nos loquentes: nemini detrahunt muti, unumquenq; lacerant, dilaniant, & ſæpius uulnerant loquẽtes. Nõ inuident muti, inuident qui ſuperare non poſſunt: ornamur mutis, perficimur mutis, quæ cœleſtia ſunt docent muti, ab his autem (quorum linguas effugere nõ poſſumus) nihil, niſi quod terrenum ſapiat, quodq; ſceleſtum ſit accipimus, & hæc iſta uita noſtra, omnium medicorum eſt uita, eorum ſaltem qui negotiantur, quiq; crebris peregrinationibus triſtem hominum uitæ curſum percurrunt.* Vide *nunc per gratiã, mi* Franciſce, *quantum terremus à cœleſti, priuatus à publico, negotioſus ab ocioſo diſtet, & quàm uaria ſit eorum felicitas, quamq; uarius ſit utriuſque finis, quem*

ego, ne ſim prolixior impendio, & pro epiſtola hiſto riam quãdam mortalium ſcribam, minime perſequar. Quare, ut aliquando finem faciam, plura his non ſcribo, præterquam, quòd te hic uidere plurimum cupio, hinc uero, & iſtuc, & quoquò unà ibimus. Neq; hoc perſicietur ſine iocis, ſine riſu, & fabulis. Vale, & ſcito me tui amantiſſimum. Reſalutabis quotquot me tuis literis ſalutarunt, præcipue Ioannem Focaudum. Iterum uale.

REVERENDISSIMO DOMINO

Petro Bertali Chriſtianiſsimæ Reginæ eleemoſynario domino ſuo obſeruando M. Antonius Baucius

S. D. P.

DIſceſſura Grationopolim Tardiuona domina, mihi iniunxit ut has ſuas, ſua manu obſignatas, ſuo ore melliſluo editas, ſuis roſeis labellis, priuſquam eas mihi traderet deoſculatas ad te darem. Eas igitur eadem fide, qua mihi creditæ fuerũt, ad te mitto. O te felicem, qui tantopere ab ea ameris, qua reges poten tiſſimi ſi talem patronam, & heram nacti eſſent feliciſſimi iudicari poſſent. Leges igitur, & fauſto omine uerbula illa è pectuſculo nitidulo in amicũ prodeuntia, & Dijs ages gratias ingẽteis pro tali munere. Ego hic aduentum tuum morabor, qui quãto tardior erit, tanto erit inſuauior. Nihil enim poſthac mihi dulce

eſt ſu

eſt futurum Tardiuona abſente. Salutē dices ſpectato Iurecōſulto Ioachimo Arſago, cui Asturconē meū ſummopere commendabis, illud addens, ſi ei per negotia uenire non liceat, quàm primum equū mihi remittat. Oculus nanq; domini equum (ut probe noſti) impinguat. Vale. Ex diuo Marcellino VI. Cal. Decembres, M. D. XXXVII. Raptim. Reuerendæ dominationis tuæ ſeruulus M. Antonius Baucius.

M. ANTONIO BAVCIO
Petrus Toletus S. D. P.

Rogauit me dominus Bertalis uir religioſiſſimus & à beneficijs Reginæ quæ charitatem & humanitatē uerā ſonant (uulgo eleemoſynariū dicūt) cum primum literas tuas quodam ſale eloquentiæ & gratia innata conditas perlegerit, curarem ad te ſuis partibus ſcribere, ne neglexiſſe uideretur, & quæ ſcribis, & quæ rogas, fieresq; certior eorum, quæ hic cū ſummo labore & uſu nummorum agit, neque existimes eum hic uitam ſedentariam & ocioſam uiuere, ſed rei potiſſimum ſeruit, qua totus officioſus aliquādo (quod CHRISTO placeat) fiat & amicis & quibuſcunque egentibus, quod iam in animo instituit, & ita, ut magnis præmijs ſolicitet, & animum confirmet. Quare, amico hæc rogante, non te tædeat eius moræ, quam caſtigare citra honorem, & ſumptū non poteſt. Habes tecum Muſas, quibus reliquas fu-

catas, laruatas, quæ terriculamentum mortalibus, imò uerò & terrorem adferunt, quasq; non nouiſſe felicißimum & pluſquam cœleſte eſſe dico. Cum tuis igitur Muſis rideas aut ſeriò loquaris: nam quicquid uoles, hoc præſtabunt, & uitæ tædium negliges, terrores ſuperabis, tenebras omneis claritate, luce & fulgore præfulgente uinces: ſolæ hæ ſunt (ut melius me noſti) quæ humanitatem (quam ego uitæ humanæ inconſtantis & dubiæ patientiam interpretor) concilient & tractent. Habes porrò animi fortitudinem, qua mollitiẽ & laſciuiã, quæ continuo inſidiatur nobis, & maxime his qui poſt mortem uiuere ſtudent, faſtidias & contemnas, neque tecum feras, illa ipſa eſt hæc mala mollities, quæ brutis & alogis nos æquat. Quare ne ultra te detineam loquacißima hac epiſtola, tu etiam atque etiam quid ſuſtineas fac cogites, neque quandiu hæc tecum uixit, ſed quandiu regnare tecum poßit perpende. Tarditas eſt ſcio quæ te iam poßidebat, eam ea diligentia, qua ſoles in rebus omnibus uti, ſuperabis. Vale, & amicum monitorẽ ab ea uitæ nequitia, & conditione perditißima iam liberatum patere, neque in eadem naui cupias nauigare, ubi procellæ, uis uentorum, & perſequutio. Iterum uale.

FINIS.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA

ERRATA QVAE VITIO PRIMI *ſcriptoris Typographus commiſit.*

In epiſtola ad lectorem,
Lege ſeplaſiarijs
Lege chelidonium Folio 80
Lege lithoſparmon Folio 86
Lege momiæ Folio 100
Lege ſeu macie Folio 106
Lege zebetum Folio 114

LVGDVNI
Excudebat Ioannes Barbous,
AN. M. D. XXXVIII.